

8d



1. Wolff f. Christ. gottl. frid. f. diff. de
Chimn et Remphan Lippie 1741.
2. ————— diff. de divortio Iudeorum
3. Wolff f. Christoph. f. diff. de eo quod publi-
me est in his meis verbis. Bonertou
phew. Lippie 1739.
4. Wucherer f. Joh. Fréd. f. praecognita theo-
logia dogmatica iend 1739.
5. Zeibich f. Cas. Henr. f. de Christo vero deo
Wittenb. 1741.
6. ————— diff. qua veres. Zalnoth et Scattia,
examinantur, Wittenb. 1739.
7. ~~Zeibich~~ ^{naturae} Thimon Pauli justificatorum.
Wittenb. 1738.
8. ————— diff. de divinito praedicto et ecclesiarum
dato mirabile obscurat. solis, in emortua
am unigeniti diem ut in signi demostra-
tione argumento siccum corne fixum
furpse verum nessum, Wittenb. 1739.

Q. D. B. V.

DISSE^TRAT^IO EXEGETICO-POLEMICA

DE

SVBIECTIONE IESV CHRISTI GLORIOSA

SUPER

I ad Corinth. XV. comm. XXII - XXVIII.

P R A E S I D E

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER D. P. P. ET V. D. M.

D. SEPTEMBR. A. R. S. cI5I0CCXV

H. L. Q. C.

PROPONENDA

A
VWOLFGANGO ADAMO SCHMAVS
BARVTHO-FRANCO.

RECVD. IOD. GVIL. KOHLESIVS ACAD. TYPOGR. 1724.

1500
SABINEGTON
IESU CHRISTI
GEORGIA
CATHARINA
D. P. E. M.
PROGENINDA
ADOLFGANGO ADAMO SCHMIDAS

WEDD. 100. GALT. HORNSEITAE ACID. 1100G. 1500

I. N. I. R. Æ.

C A P. I.

Fundamenta potiora præsternens.

§. I.



Ificilia quæ sunt intellectu in Epistolis Pauli, ipso Sp. S. judice, non solum Rerum & mysteriorum sublimitati, qua pollebat præ ceteris Apostolus notitia, esse adscribenda; sed etiam, & potissimum stylo singulari & structuræ orationis eidem propriæ, nemo temere inficias ibit. Neque etiam obscuræ sunt significaciones, unde colligas, ex Temperamenti Praeconis hujus, Cholerici puta, (a) indole, cui se Sp. sacer accommodavit, præcipuam originem ejus dictiōnis repetendam esse. Nihil sane est, quod frequentes ab eo adhibitas transitiones, parentheses, periodos, partim ex abrupto inchoatas, partim etiam finitas, verborum item trajectiones, & Applicationum defensiones subinde notabiles, cuiusmoedi animadversas esse hinc inde reperi, illustret magis, quam iste impetus, divino simul motu concitatus, temperatus & gubernatus. Atque hæc non nunc demum observarunt Interpretes Litterarum sacrarum, sed jam olim Irenæus (b) frequenter hyperbatis uti Apostolum, propter velocitatem sermonum suorum, & propter impetum, qui in ipso sit, Spiritus, affirmavit. Idem vero alii plures, veteres non minus quam recentiores, Ecclesiæ Doctores confirmarunt

A 2

fæpi-

(a) V. id. Dn. Gregorius Disp. de Temperam. Apoſt. (b) L. III. adverſ. baref. c. 7.

Sæpiuscule, (a) atque etiam res ipsa satis loquitur. Hinc proinde tanquam ex fonte nativo, sed a Sp. S. ad Codicem Biblium, sapientissime, & sine doctrinæ cœlestis salutifera imperfectione, compendifaciendum directo, multiplices digressiones, quibus & Epistolarum forma in N. T. magis idonea est visa, promanarunt. Immo etiam, nisi nos omnia fallunt, Paullus hac quoque de cauſa, ad Sacra N. T. λόγια litteris consignanda, præ ceteris, fuit, ut σκεῦλον ἐκλογῆς, Act. IX, 14. jam tunc eo nomine dignatum, delectus.

S. II. Ad hujusmodi excursus orationis dubio procul referre oportet, quæ i Cor. XV. a comm. XXI. usque ad XXIX. leguntur de Christo IESU vitæ fonte, ejusque regno nobilissimo, tandem tradendo, hostiumque victoria, atque ipsius denique ~~victoriam~~, occasione unius vocabuli ἀπαρχῆς, exposita vere ~~τιτάνη~~, mirumque in modum abstrusa, & pene supra mentis aciem naturalem posita. Cum enim ἀπαρχῆς Hebraeorum primitiis, præsertim frugum seu frumenti, altera Paschatis feria, per manipulum unicum, & Pentecostes festo, panibus duobus oblatis, terræ proventus quicunque ad usum promiscuum, economicum, sacramque in templo Dei, Levitica lege aptarentur; (b) occasionem hinc captavit Paullus altius assurgendi, & resuscitationem omnium Christo fidelium (τῶν ἐν ζωήσῃ, quorum solatio tota oratio destinata est,) per Resurrectionem Sosipatoris benedicti, sacramat veluti messem divinam, ne tardiorē resurrectionis adventū impatienter ferrent (c) in extremo die secutarā, explicandi. (d) Unde porro ad hostes universos devincendos, Christoque Regi, ut Victori, tandem, at suo ordine, & paullatim, omnino in potestatem redi-

(a) Epiphanius, *Hæres.* 64. & in istar omnium J. Lockius de Stylo Paulli Explic. quarundam Epp. premiss. (b) Vid. Lev. XXIII, 10. II. 16. 17. & corf. Rom. XI, 16. (c) Calvin. Comm. in b. l. (d) Conf. Joh. XII, 24.

redigendos, aliaque ad ejus gloriam pertinentia, digressus est. Neque in his tamen substitit is *Pauli*, sapientia divina repleti, e via facer quasi excessus, sed amplius a Majestate Regni *JESV CHRISTI*, dicere exorsus, ad alia atque alia *duxi paulo* ejusdem progreditur, donec *gloriosa illius ἀντάξια*, qua factus sit Deus omnia in omnibus, producta in medium, eo se referret oratio, unde dilapsa fuerat. Hinc enim, licet parum videatur lucis accedere principi argumento, plurimum tamen roboris peti posse, suo loco deinceps ostendemus. Etsi non diffitemur concisa admodum orationis Apostolicæ brevitatem factum esse, ut incredibilis difficultas objecta sit, quam evolvere, post aliorum laudabiles conatus, nostrum erit, nec inutile institutum: tantoque magis necessarium, quo luculentiora sunt in 2. Ep. Petri C. III. vestigia, quæ, ad extrema orbis, & locum præsentem Paullinum, in primis optimum illum Collegam, *duoviron* quædam notantem, respexisse subindicent.

§. III. Eum vero scopum, ut attingamus, quosdam, qui præcedunt, nodos, ante, quam ad postremum, duriorem ceteris, perveniamus, dissolvere opus est. In his primum occurrit is, quem in voce *τάγματος* nonnulli præter necessitatem nectere conati sunt, (a) vocabulum oppido perspicuum, pro præmiorum non uno genere, in beatitate aeterna distribuendorum, aut ipsius beatitudinis nota venditantes. Quam etiam ob rem, postquam præeuntes viderant Patres Vet. Eccl. in Exegesi subinde non admodum felices, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Theophylactum*, Pontificii commentum illud ad corollas suas, ex merito proprio sic dicto expectatas, transferre ausi sunt. Quin & ipse *Hieronymus* (b) verbis paucis quidem, sed satis luculentis: *Temporis aut honoris*: dubi-

(a) *Vid. Corn. a Lapide ad b. l. & add. Petrum Martyrem ad 1. Cor. XV.*
 (b) *Comment. in b. l. Opp. T. IX. f. 260. med. ed. Fstan.*

um se fuisse haud obscure professus est. Sed , quantumvis ipso met gradus gloriæ, in Corporibus potissimum beatorum olim conspicuos, non inficiemur, eosque deinceps a Paullo comm. XLI. & XLII. (coll. Matth. X. 41. seqq.) indicari atque eo consulto rejici fateamur ; tamen nostrum, quod præ manibus est, τάγμα , ipso Corn. a Lapide afferente , id quidem haudquaquam exegit. Imo vero relationis ideam, & ad resurrectionem quidem, subesse, ac consuetum proinde significatum *Ordinis* unice locum habere , palam ostendunt vocabula ἀπαρχὴ , ἄτα atque ἔχατο , quæ antecedunt & subsequuntur, quippe quæ vix aliter, quam *ordinis* notione accipi possunt. Tantoque magis nobis inhærendum videtur propriæ & simplici significationi , quanto luculentius ipsa ὑπόταξις , de qua paullo post dicere instituet Apostolus , eo quodammodo respectat atque finis cum initio aperte connectitur. Quo pacto etiam, quid sit ἴδιο τάγμα, intelligi potest rectius : Utpote quo non solum suum cuique ordinem, in eventu commemorato, victoriæ mortis, ceterorumque hostium, universe assignari patet; sed Capitis quoque & Corporis mystici seu membrorum discrimen, quorum illud sua virtute surrexerit, hæc aliena exsuscitabuntur, subinnuitur. Neque deerunt, quæ in Regno præsenti adhuc *militari* ex ea τάγματο^{re} voce lucem aliquam affundere posse, suo loco venient observanda : de quibus nunc quidem differere non convenit. (a)

§. IV. Atque hinc adeo proclive est intellectu , qua sententia bis repetitam particulam ἄτα interpretari oporteat : Ita nimurum, ut non nisi *Ordinem Consequentium*, ad Christi Capitis Antecedentis resurrectionem , ceterorum , eorumque λῶν αἰθρίων, simplicem atque merum significari constet, nullamque temporis, sive longinqui, sive etiam propinquai, differentiam inferat aut determinet specialem. Evidem si *Chiliastarum* hodiernorum judicia & sensa consulas , alia hinc omnia & ipsius

(a) Vid. interim Erasm. Schmid. in Not. ad I. Cor. XV. 27.

ipius Regni Christi spectabilis, mille annos perduraturi, & Apoc. XX. comm. 2. sqq., ut arbitrantur, prædicti, mysteria elici posse, sine difficultate, eos persuasum habere, ac veluti compertum, videoas. Quemadmodum etiam h. l. in primis usus est nuperimus ejus Regini & celebris Preco (a) eumque potissimum, tanquam præstantissimum (*den herrlichen Ort*) eo valere existimat, ut *prima præstantioris aut potioris hominum partis, h. e. selectorum & Christo Fidelium resurrectio*, ante Millennium illustre futura, hinc adstrui possit: quandoquidem aperte satis Paulus τότε, ut ait, tergeminam resuscitatorum, *Christi nempe monadicam, Fidelium* (coll. Gal. V, 24.) seu Sanctorum particularem, & Universalem denique *omnium hominum*, enaret. Quæ postrema Apoc. XX. 13. 14. itidem indicata Resurreccio, non possit non, ut secunda a prima, notabili temporis & seculorum intervallo disjuncta, atque id ipsum proinde esse Regnum mille Annorum, quod l. c. Apocal. a Johanne pressius definitum sit; a Paullo vero indefinitum quidem relinquatur, at tamè *xata diabolos*, quando *ultimi hominis* penitus sublati, Mortis puta, mentionem faciat, subinriuantur. Pulchre hæc, quis enim diffiteatur? cohærent, si Regnum illud Mille annorum ut certum primamq; resurrectionem, præstruxeris, & proprie acceptis vocabulis, tanquam verum & proprie sic dictum quorundam in vitam redditum, ante alios subsecuturos, tueri possis. Sed quemadmodum multo obscurior est locus ille Apocalypses, commune Chiliastrarum refugium, quam ut *avaloyias της πίσεως* primarium quasi fundamentum, in re tanta & tot capita fidei attingente, non obstantibus stili prophetici schematibus solitis, quæ prorsus illi negligunt, constituere possit: ita longe clariora & formandæ interpretationi, cohæ-

(a) D. Petersenius in *Verit. glorioſi Regni Iesu Christi VII.* Tubicin. expeditandi, Thes. II. lit. (c) f. m. 54. seqq. Ejusdemque Solido fundam. Epist. III. f. 17. seqq. & alibi.

cohærenti cum ceteris effatis Spir. S., aptiora sunt, quæ non nisi unam, eamque communem omnibus eodemque tempore, resurrectionem hominum fore condocent: qualia Joh. V, 28, 29. VI, 39, 40. XII, 48. & alibi, ut Joh. XI, 34. reperiuntur. Quæ si expendas, non de ἵχαταις ἡμέραις, sed ἵχατη unicæ die loqui, & cum uno iudicio solenni, unoque redditu (Hebr. IX. ult.) καὶ ἐπιφανεῖα passim conjungi; miramur, cuiquam de gemina, in nostro hoc loco Paullino, resurrectione, de quarum altera ne apex quidem heic legitur, utut ex instituto quoque de ea hic agendum fuisset, in mentem venire potuisse. Quæ enim sit τὸ τέλος vis & potestas paulo post commonstrabimus.

S. **V.** Ad particulam vero εἴτε quod attinet, non est cur tantum in ea confidant commentitii istius regni Chilasticæ præcones, quippe cuius usus perpetuus in S. Litteris N. T., ubi decies omnino occurrit, *Ordine connexorum* duntaxat, atque meri proinde ordinis notam exhibet, neque quod sciām ullibi grandia ejusmodi Decem seculorum intervalla exigit. Immo non defunt exempla, ubi continuo etiam fecutam actionem ea indicat: uti impositæ statim cœco manus, postquam fémel eum tetigerat Christus, Marc. VIII, 25. Infusa mox, ubi præcinxerat sese Liberator noster, in pelvim aqua, Joh. XIII, 5. Creationem item Adami, Evæ conditus, sine mora, consecutus 1 Tim. II, 13. Generationes peccatorum externorum ex internis. Jac. I, 15. & alia ejusmodi palam ostendunt. *Inequalē* vero *intercapidinem*, & horarum & dierum, & annorum quoque distantium, hoc ipso Cap. nostro 1 Cor. XV. in enumeratione apparitionum Christi, Paullus hac voce & cognata εἴτε describit. Ne quid dicamus de iis locis, ubi ne tempus quidem simul cum ordine enumerationis comprehendendi videmus: Vid. 1 Cor. XII, 28. Quæ tamen omnia sua perspicuitate vincit vaticinium illud Paulli plane αὐθίγγλον & luctulentissimum 1. Theſſ

Theff. IV, 16. 17. quo ἀνάστατη τὸν νεκρῶν ἐν χειρῶ, quando tuba illa Archangeli sonuerit, ἐν τῇ παρούσᾳ τῷ οὐρανῷ fore inquit, & tamen ἐπειδὴ, quæ vox plus videtur disjunctionis inferre, quam simplex ἡτα, immutationem superstitionum flatim subiungendam, atque omnes ἄνθρωπου simul obyiam Christo corripiendos addit. Quæ cum sint ab ipso Dn. Petersenio ad idem tempus relata, & arctissime cum tubicinii ultimi initii conjuncta, tanto efficacius merum ordinem probant his voculis significari. Paria autem intervalla, quale inter Christi resurrectionem principem, & messis communis universorum omnino hominum, (Act. XXIV, 15.) etiam impiorum, hinc nemo excusat; nisi qui divinæ cœconomiae rationes & voluntatem sapientissimam, alia longius sejungentem, alia vero proprius connectentem, ad præjudiciorum suorum decempedam exigere ausit. Quanquam nec desint, quæ pro mora tanta, ad resurrectionem usque universalem, eorum, qui Christi sunt, (certorum enim nullam heic habuit rationem Apostolus (a)) aduci possent satis verisimilia: quæ hac tenus bene notavit Crellius. (b) Ipse vero Socinus (c) non contemnendis argumentis ex h. l. etiam fortiter expugnavit Chiliasmum, & quam noxia sint illa placita Regno Christi, quod jam ab ipso Sessionis ad dextram Dei momento Paullus h. l. ad traditionem usque deducat, coll. Marc. XVI, 19. ostendit.

S. VI. Quemadmodum autem plurimum resert, seriem illam divinitus dispositam, & ad unam visibilem Christi παρούσιαν, seu adspectabilem adventum, cuius hic & alias pastum fit mentio, (Act. I, 11. 2 Tim. IV, 1. & 8. Tit. II, 13. 2 Thess. I, 7. &c.) adstrictam nosse: ita quoque, quisnam *Finis* intelligendus sit, quem verbis: ἡτα τὸ τέλος, Paullus innuat, indagare operæ pretium est. Socinum cum affectatoribus si

B

con-

(a) Vid. supra §. 2. (b) Comment. imperfect. in 1. ad Cor. Epist. Opp. Exeget. f. 226. seqq. (c) T. I. Opp. Epist. ad Cibnicic. Synod. f. 440. seqq. & T. II. Diff. contra Chilias f. 457. seqq.

consulas , promtos esse eosdem animadvertes , ad Finem regni Christi , ejus puta , quod ad dextram Patris tanquam vicarius nunc administret , isthac accommodare : ut habeant videlicet , quod ad æternitatem hujus Imperii & dignitatem Christi collabefactandam inde accipere possint . Ipse sane Socinus (a) Finem h. l. non hujus seculi proprie , sed regni Christi finem videri significare , atque ita se lubentius interpretari , ait . Neque dissentit , ut afolet , Episcopius (b) qui post hanc vitam Sacerdotium & regnum filii cessaturum citato i Cor. XV, 24. crude affirmat . Sed uti sunt Analogie fidei haec minime consentanea , qua de re paullo post dispiciemus ; sic neque ad hujus dicti Paullini rationes ea quadrant : Ubi Finis , sine addita limitatione certæ rei , aut regni nominatim , sed absolute & simpliciter mentionem fieri videmus . Accedit usus Scripturæ sacræ , qui , nisi ad certum quiddam desitrum vox determinata sit , vel ex contextu eo respici pateat manifestissime , Finem , ut Petrus vocat i Epist. V, 7. τὸν πόντον , aut , ad Paulli formulam , finem τοῦ αἰώνος i Cor. X, 11. h.e. periturorum cœli & terræ , intelligi oportere docet . Cujusmodi exempla Dan. XII, 4. 9. & 13. Hebr. III, 6. 14. VI, 8. 11. Apoc. II, 26. & ex plerorumque sententia Matth. XXIV, 14. Luc. XXI, 9. habentur . Quorum nonnulla , licet non tam omnium rerum universam , & totius mundi , consummationem designent , vitæ tamen presentis , nonnisi cum illa παντεργίᾳ reddendæ , terminum notant , ad quem finis vitæ humanae quemque asservandum trādit .

§. VII. Idque ordo amplius confirmat , secundum quem Paullum ab ἀπαρχῇ , Christo , ad fideles per Christum particularim , ac denique ad τέλον univerorum , tanquam terrium τῷ τάγματι ad Christum reddituri momentum , quasi per gradus

(a) II. supra citatis , cum quo Volkelius de Vera Relig. L. III. c. XXXII. seqq. & Ostrood. Inst. Germ. c. XLI. f. 199. sqq. ceterique consentiunt . (b) T. II. Opp. Lect. Sacr. ad II. § III. Cap. Apocal. f. 535. med. & T. I. Refl. ad Quest. XXIV. ex professo .

gradus ascendit. Unde & acutissimus Crellius (a) facere non potuit, quin, rationibus gravissimis adductus, propemodum in medio rem omnem reliquerit, & manifestissimam, quam Sociniana interpretatio inducat, redundantiam aut nugationem, quia traditio illa regni cum ejusdem fine re ipsa eadem sit, quæ tamen postea discernatur aperte a fine, agnoscat. Ut ut etiam alia subinde effugia querat, & modo ῥα� pro relativō, durius, ceu ipsem fatetur, habeat, modo sequentia ad modum finiendi hujus regni determinandum addita esse existimet, atque tutiorem saltem, (si non veram) eam esse explicationem afferat. Sed quid Crellii opus est tergiversatione? En candidiorem promore Schlichtingium, qui desertis sociis, sine ambagibus: Tum demum erit finis mundi, idque ipsum prolixè docere Petrum Apostolum 2 Petri III, 7. 10. 11. 12. 13. ad h.l. affleverat. Ut mirum, e nostratis quoque quosdam, de Fine regni Christi interpretationi, sub qua anguis latet, non satis circumspecte favisse. Etsi non dubium sit, quin, quod Sociniani longius extendunt, hi secundum quid, & ratione certæ Oeconomia, intellectum voluerint. Eam enim finem, sub finem mundi hujus adspectabilis, habiturum esse, fusi s deinceps ostendemus.

S. VIII. At finem, inquires, Regni, a Christo hoc usque, ad τέλος videlicet istoc, quodcunque sit, gubernati (veremur enim administrationem appellare, quod ei ut supremo & sua virtute, etsi sec. Hum. Naturam communicata, imperanti Domino competit,) tandem fore confessim docet Apostolus: quando, traditum Patri Christum τὴν βασιλείαν, conceptis verbis sub id ipsum τέλος affirmat. Recte quidem. Sed quid per regnum innuat Sp. S.: *Omnem ne*, quam ex Communicatione, per unionem personalem & Sessionem ad dextram maiestatis habet, atque plene exinde usurpavit, potestatem, Ecclesiam in primis suam gubernandi, regiamque auctoritatem, eam-

(a) Comment. ad 1 Cor. XV, f. 331. b. med. (c) Comment. in 1 Cor. XV. Opp. Exeg. f. 81. Bibl. Err. Polon.

que non vicariam, sed αὐτεύθυνον, qua Patri σύνθεσις est : *Ansertum aliquod regiminis genus?* dispiendiū erit. Prius certe, & suo sensu, sibi dari praeoptant, omnibusque viribus contendunt *Sociniani*: quo factum, ut nonnulli, post Exaltationis statum, quem Christum adiisse nobiscum certo modo docent, eos Degradationem (a) & quasi Exauctoritatem statuere affirment; qua voce tamen haud memini quenquam eorum usum esse, sed *Abdicationis & Resignationis* terminis (b) modestioribus. At enim quod illi, de Persona Christi θεανθρώποι graviter errantes, sibi concedi postulant, nunquam a veritate prævalente impetrabunt. Ne quid enim de ipsa Dignitate & Majestate Sospitatoris nostri, & *Regno*, quod vocant, *Naturali*, tanquam summi & æterni Dei, dicamus, unde per unionis gratiam, ex unione personali ab Humana Natura participatam, etiam qua Homo, in omnem æternitatem possidet & usurpabit eandem Majestatem, (alio licet modo exercendam,) quave se nullatenus abdicare potest; sola profecto de *Regni Domini nostri & Liberatores J. C.* infinita æternitate Scripturæ testimonia luculenta id evincunt. Quid enim clarius dilucidiusque, quam vaticinium Angelicum ad Mariam, Luc. I. comm. 33. Καὶ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν ὄνον ἵκεται εἰς τὸν αἰώνα, καὶ τὴν βασιλείαν ἀντὶ τῆς τέλους? Ubi *seorsim*, ne cavillationi locus esset, in secula non tantum regnaturum dicit, sed *finem regni ejusdem haudquam fore addit*. Qua formula distincta, quid validius & efficacius, tanquam infinitum absolute, describi possit, non reperio.

§. IX. Accedit Ps. XLV. comm. VIII. solium Christi (coll. Hebr. I, 8.) descriptum, una cum sceptro, tanquam in omnem æternitatem (Hebr. וְעַל־כָּל־יֹם) seu sine termino perfiditum: id enim forma loquendi Hebraeorum postulat. Ut cetera, ubi simplex וְעַל־יֹם & αἰώνος occurrit, v. g. Dan. VII, 14. 2 Sam. VII, 13. coll. Hebr. I, 6. omittamus, & similia.

Inter

(a) B. Scherzer. Colleg. Anti-Socin. Disp. LXVI. p. 541, marg. (b) Vid. Crellius ad 1 Cor. XV. f. 331, b. & alibi passim.

Inter quæ quantopere sollicitum reddiderit, id, quod ipse *Ostroodus Socino* objecit ex Hebr. I, 10. coll. Ps. 102. 26. seqq., ex Epistola ad eum perscripta (a) apparet. Quid? quod in *Th. φαντα* illa secunda & solemni, quam expectamus, regnum Christi, novi generis ac modi, *inchoandum* Paullus 2 Tim. IV, 1. affirmat, aut, si mavis, idem regnum tum patesciendum inquit. Ubi etsi nondum viderimus, omnia esse Christo in praesens subjecta, Hebr. II, 8, & forte haec de primis initiis Ecclesiae plantandæ intelligenda sint, (cum jam satis superque ad nostra usque tempora apparuerit, regnum Christo cessisse Apoc. XII, 10.) male Regnum Millennii commentitium intelligitur, & pejus adhuc *Socinus* (b) de patefactione & complemento explicat regni hucusque gesti. Utut sit, illustris sane non erit *Th. φαντα* Imperii finiendo, cuius vix brevi tempore aliquod jubar aut radii conspiciendi erunt. Neque etiam de colophone addendo loquitur Apostolus, sed tum demum expectando adeoque a praesente haec tenus distincto. Quam etiam ob rem Syrus interpres haud male, per εν δια δυον, בְּנֵי יִזְרָאֵל דְּמָלוֹכֶת, transluit; Chrysostomus autem regnum beatum & aeternum, cum omnibus Sanctis gloriose ineundum, & quasi coram toto mundo tunc inaugurandum, rectius quam illi, heic observavit. Sed quid multis? Habemus ipsummet Smalcianum constentem, qui, (c) non plane constare (quoniam alios ita sentire sciat,) vocem, inquit, Finis ad finem regni Christi pertinere, cum ad finem negotii salutis non incommodo referri posse videatur: quæ ex contextu quoque probat. Ubi, licet neque Smalciana omnia approbemus, sufficit, quod ipsam, de Fine absoluto regni Christi, sententiam Socini hinc excuspi non posse, fasilius sit Smalcianus. Eundemque de ipso Regno Christi interdum sanius loqui, suo loco ostendemus, tametsi subinde etiam ad insana Magistrorum placita redeat, atque ambiguitatibus ludat.

B 3

f. X.

(a) *T. I. Opp. Socin. f. 446. seqq.* (b) *Epist. ad Synod. Chmielnic. T. I. Opp. f. 44. Ad. Schlichting. ad b. l. 2. ad Tomi. IV. f. 375. Opp. Exeget.*
(c) *Ref. Thes. Schopp. fol. 320.*

§. X. Non ignoramus quidem , quid obvertant , cum
 Duce gregis , *Socini affecte* , atque loco supra citato exprofesso
 id agens *Episcopius* , sed tricas tricis iunctentes . Existimant
 videlicet illi aeternitatem istam Regni J. C. ad Domum Ia-
 cobi adstrictam esse , neque id duraturum amplius , quam huic
 in his terris , spirituali sensu , in N. T. locus sit futurus , h. e. ad
 finem usque mundi . Qua de causa neque diutius , quam co-
 lum & terra stabunt , seu Christi imperium cum Sole duraturum
 ajunt , idque ex Ps. 72. & 89. firmant : quibus nostrum de
 Tradendo Patri Regno , ad finem denique , (quem finem
 illos de Fine Regni ipsiusmet interpretari vidimus ,) addunt . (a)
 Nam licet etiam particulam : Donec ponam &c. Ps. CX. *Regnum-*
que aeternum Salomonis quoque attributum urgeant; non tamen
 his tantopere videntur confidere . Ipse sane *Socinus* usum τὸς *Donec* ,
 ad denotandam continuationem alicujus rei usque ad Terminum
 fixum , non tamen excluso subsequenti tempore , aut duratione ,
 non negat , & Typi rationem , cui nobilior antitypus respondeat ,
 fatetur . Ne dicamus , terminum , qui videtur hac vocula
 subinnui , non semper imminutionem dignitatis , sed haud raro
 & perfectionem , seu ulteriorem *profectum* (τελεώτων) designare ,
 uti apposite *Cocceius* observavit . Quocirca & *Episcopius* (b)
 postquam amplitudine excellentius regnum , quam Salomonis
 fuerat , in Messia filio Davidis agnoverat , simul *regnum* ejus-
 dem (interruptione licet intercedente , at familia semper su-
 perstite , in qua tandem interruptum restituendum esset ,) *spiritu-*
ale & caeleste ait fore , *in terra* quidem erigendum , *sed de cae-*
lo & in caeli solio administrandum , & *in caelo* : (ubi vero nisi in
 gloriose beatorum regimine ?) consummandum . Neque enim ,
 subjungit p. p. *ratio ulla esse potest* , cur *promissio Davidi facta* ,
dicatur non impleta , quia *illustriori modo impleta est* , soltoque
 Davi .

(a) *Vid. ea argumenta collecta a Socino Ep. ad Ostrood. T. I. Opp. f. 446.*
 col. c. unde ceteri , tanquam ex oraculo , sua tela depromserunt , Volkelius ,
 Smalcianus , Ostroodus , alii , (b) l.c. *Quest. XXXIV. circa finem*

Davidis regnum multo augustius sublimiusque (etiam respectu durationis) datum fuit, quam quale promissionis litera præ se fert. Unde aduersus ipsum Episcopium, regnum hocce, i. c., quandiu pactum cum Sole & Luna, h. e. quandiu mundus ipse staret, duraturum illic inter alia addocentem, valide pugnare nobis proclive erit. Ad priora vero argumenta ut redeamus, Psalmi LXXXIX, comm. 35. & 36. hic minime quadrant: utpote quibus verbis non tam duratio regni Christi, quam promissionis de eo firmitudo, per pactum cum Sole, sine mutatione a primo conditu suo manente, ac perennitatis quasi symbolo, utcunque describitur. Altero autem loco Ps. LXXII, §. 7. duratio quidem cum Sole, & dum superstes sit Luna, ejus Regni asseritur, sed ulterior perseverantia non negatur. Atque insuper, quod & B. Geierus noster observavit, (a) mutua tantum concomitantia, vel coexistentia, Cultorum Messiae (in regno puta praesenti gratiae, quod facta humilia, reverentium eum, in Psalmo delineata, probant,) tum Sole, ad finem usque mundi duraturo designatur: quo intereunte NB. alia inchoabitur regni forma 1 Cor. XV, 28. Enjedinum vero mire se in hoc loco peryertendo torquentem, itemque Grotium notarunt atque solide jam ante confutarunt Nostrates Theologi (b), quorum verba dare otium non est: nec opus etiam erit, dummodo Episcopii monita repetere & applicare placeat.

S. XI. Relinquitur ergo solus de Domo Jacobi scrupulus, in quo mirifice sibi placet, cum Socino suo, Volkelius (c) qui tam diu duraturum esse ait, ὁδὸς Φεγλῶν verba Angeli, dum dominus Jacob, i. e. divinus populus in terris extiterit, talique regge, qui cum defendat, forvet, servet, indiguerit. Cui confessim etiam additum analogiam Sacerdotii æterni, quod Hebr. V, 6. VI, 20. & VII, 17. 21. Christo itidem assignetur, cuiusque scopus

cum

(a) Comment. in Ps. LXXII, §. (b) Vid. Anti-Enjedinum B. Feuerbornii, Calovii Theol. Natural. Bibl. Illusfr. &c. (c) De Vera Relig. L. III, c. 36. p. ed. Racov. f. 144. sed Mares. p. 358.

cum sit salutis nostra procuratio, fore inquit, ut ea peracta &
 ad exitum perducta, non amplius illi, perinde uti regno, locus
 sit. Ad quæ ut respondeamus, miramur, cur tam audacter cum
 præceptore discipulus in altero membro Angelici effati domum
 quoque Jacobi repeatat, cum haud temere quis, regnum gra-
 tiae & gloriae ab ipso Angelo distingui, excipere possit. Sed
 demus, eo quoque verba illa pertrahenda esse: Expeditum est,
 ceu videntur existimare, & concessum utrinque, Domum
 Jacobi aut Israelis nusquam nisi in terris quærendam esse? Ego
 profecto subdubito, immo contrarium affirmo, quoties mecum
 animo reputo, quod ipsa beatitas hominum electorum per
 collectionem in sinum Abrahe Lyc. XVII. describatur. Tum vero
 quis quæsto nescit, Hierosolymam, metropolim Domus Jacob &
 Davidis, typum fuisse non minus Regni gratiae, quam Gloriae.
 Quo referunt nonnulli Ἱερουσαλήμ ἐπιτεχνίου Hebr. XII, 22.
 Multo illustrior est descriptio cœlestis Hierosolymæ Apoc. XXI
 tot. de cœlo, ut Johanni ostenderetur, demissa; Eam vero ita
 graphicè Sp. S. ad modum Judaici populi statusque attemperat, ut
 portis duodecim ejusdem ὄνοματα ἀπηγεγραμένα, ἀ εἰς τῶν
 δώδεκα Φυλῶν τῶν οὐάντων σεργάλ, sibi visa Scriptor divinus asserat.
 Add. Matth. XIX, 28. ubi sedentis Christi in throno gloriae,
 judicandarumque tribuum XII. Israelis mentio injicitur, quæ
 haud pauci de extremo judicio & auspiciali Christi, in glo-
 rioso regno, actu intelligi volunt. Tantum ergo abest, ut
 Domum Jacobi ad hanc vitam mortalem restringi patiamur.
 Adduceremus & ex Prophetis, fuisse, ubi descripta est æter-
 na felicitas, ita dictos coeli incolas; sed ne ad sua de Vita
 æterna haud promissa, in tabulis V. Fœd., effugia se recipiant
 Adversarii, consulto iisdem abstinemus. Ipsam tamen Ecclesiam
 militantem a triumphante, non nisi modo regiminis per Fidem, &
 Visionem, aliaque accidentia differre, Ecclesiamque eorum,
 qui civitatem futuram quærunt, & qui eam adepti sunt Hebr.
 XIII.

(Hebr. XIII, 14.) eandem, populumque adeo Dei & Domum Jacobi, cum quo ceterisque Patriarchis considerare ad mensam Dei beati dicuntur, non minus hunc quam illum vocari, adhuc monemus. Quæ si ita sint, inepte profecto in Domus Jacobi mentione, ab Angelo facta, elabendi rima a Socinianis quæritur. Ceterum de objectione illa, cum alii eam fere prætermiserint, & ipse quoque *Maresius*, (a) in propugnanda contra *Volkelium* æternitate, ex solo Olam, alioqui satis verbosus, deduxerit, paullo studiosius videbatur differendum.

S. XII. Ad æternitatem Sacerdotii Jesu Christi quod attinet, non abnuimus aliquid in eo difficultatis hærere, eamque nuper admodum auxit Cl. Lamb. *Rosius*, qui (b) præter Volkeliana objecta, *de Sacerdotio Melchisedeci non aeterno*, (ubi facilis est ex Canone trito: *Plus esse in Antitypo quam typo: solutio*, quanquam nec de illo finis vitæ legatur Gen. XIV. notatus,) ex Græca literatura, Phrasin, μένειν εἰς τὸ διηγεῖται, ad hanc præsentem vitam adstringit, &c., quod Latini *Dicitoris perpetui* titulo exprimit, Graci per εἰς τὸ διηγεῖται, efferre, ex Appiano docet. Enimvero non de sola isthac Phrasin in se spectata agitur in II. Ep. ad Hebr., quanquam & מִזְבֵּחַ, supra mortem, extendi, ex Symmachii versione Ps. XLVIII, 15. ostendi queat; Sed scopus potius Apostoli spectandus nobis est, quem sibi, ut eximum quid in Sacerdotio Christi demonstraret, præfixerat. At vero per omnem vitam etiam Aharon cum posteris suis, (nisi corrupta demum Republ.) fungebantur sacerdotio. Hinc ibidem explicatur illud, εἰς διηγεῖται, ab ipso Apostolo, præente Psalmo X, 4. unde demonstrationem duxerat, per ζωὴν ἀκατάλυτον, quæ opponitur vitæ humanæ Aharonitarum: Christique insuper sacerdotium ipsummet appellatur, αὐτοῖς βατον c. VII, 16. 23. 25. Accedit, quod εἰς διηγεῖται consummari omnes sanctificatos idem ait Apostolus C. X, 14. quæ non ad

(a) *Hydr. Socin. expugnata l. c.* (b) *in Exercit. Philolog. ad N. Fæd. loca nonnulla Franeq. A. MDCCXIII. locupletius ed. 8vo. Hebr. VII, 3.*

hanc vitam tantum , sed gloriosam potissimum pertinet τελειωσιν , & alia hujusmodi . Quæ satis superque condocefaciunt , majorem Virtutem Sacrificii Christi , ea de caussa haud repetendi , esse , quam legis Mosaicæ institutorum : quippe quo in æternum liberandi sint fideles a morte & inferno , & regnaturi in vita æterna , per Christum Dominum suum , sine fine , ejus sacerdotii & regni fructu beandi . (a) Atque hinc etiam de æterna Christi intercessione liticula , quæ aliquando agitata fuit inter nostrates , definiti poterit , dummodo inter fructum & actum ejus officii discernas , quantumvis alii ad conservationem beatitudinis omnino actu ipso vi Hebr . IX , 25 . eam requirant . (b) Id certum est , quoquo modo de illa questione sentias , a qua tu tuis est abstinere , Volkelium ex analogia sacerdotii objecta , contra æternum regnum Christi gloriosum , parum proficere , ut inversis armis inde potius id validissime adstrui credatur .

S. *XIII.* Quidnam ergo tradet Patri , inquires , si æternum regnaturus est cum gloria Christus ? *Regnum* , cum Paullo affirmo , τὴν βασιλείαν ; id , inquam , quod hucusque gesit , sed nunc quidem finem ipse , ex sententia Patris , a sua haud discrepante , eidem imponet . Regnum proinde non omne & omnis generis aut forme , sed certæ , & ab ipso Apostolo determinato descriptæ atque signatae ; sed quod non sine caussa τὴν βασιλείαν , hoc ipsum *Regnum* , appellat , cum Articuli δεινῶν significatu . *Regni traditione* ac subordinatione ultima non definit regnare simpliciter , ait acutissimus *Bisterfeldius* , (c) sed certo modo . *Quamobrem* etiam *Apostolus* non dicit , ὅταν βασιλείαν τοῦ θεοῦ , sed ὅταν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ . Neque obstat vox *Basileia* , utpote quæ non solum dignitatem regiam notat , aut totam corporis , seu subditorum atque capitis , comprehensionem ; verum

(a) *Conf. Joa. d' Otrein Diff. de Melchisedecho non Henochi ed. 1613. Amstel.*
in Append. f. 45. sqq. (b) *Vid. infra omnium J. G. Lucii Diff. de cohabitio*
& conglorif. Fidel. cum Christ. ad Joh. XVII, 24. ubi & amœba Manuscr.
reperies. (c) *De uno Deo Patri, Fil. & Spir. S. Myſt. piet. contra Cœli*
lum L. I. Scđ. II. c. 36. p. 273. Ed. L. Bat. A. 1639.

verum etiam ipsam Formam, statum ac modum Regiminis, h. e. uti Cicero loquitur, (a) *regale genus civitatis, ad quod & leges accommodata sunt*: quæ fide & pœnitentia earumque fructibus hic potissimum continentur. Nihil certe frequentius, quam ista notio in profanis & sacris Scriptoribus Græcis. Ita Plato in Epistolis τὴν ἀρχὴν ἀντὶ τυραννίδος εἰς βασιλεῖαν μετασῆσα dixit eos, qui *modum & morem regnandi mutant*. Similiter & (b) Theodoretus βασιλεῖα τυραννίδος διαφέρει τάντη, τῷ τὴν μὲν τυραννίδα ἀκόντων γίνεσθαι τῶν ἐπηκίσων, τὴν δὲ βασιλεῖαν βελομένων τῶν ἀρχομένων: ubi forma regnandi, qua occupationem & exercitum, clarissime hoc nomine venit. Ne quid de locis passim obviis dicamus, quibus Romani ἀπὸ τῆς βασιλείας, h. e. prima illa, & in exilium missa, atque nunquam revocanda, forma regia, leguntur, apud scriptores Græcos rerum Romanarum abhorruisse. Eodemque sensu ἡ βασιλεία saepenumero ab Αρεσπερτέᾳ καὶ Δημοκρετίᾳ distinguitur. (c) Sed quid multa? Nonne in ipso N. T. codice tritissima ea est notio, quando ἵγιεν βασιλεία τῶν ψευδῶν Matth. III. IV. Marc. I. & Luc. XXII, 18. &c. saepissime legitur: aut, ubi ὁμοίωσις τῆς βασιλείας multiplex Matth. XIII. XXII. &c. instituitur, non nisi statu & conditione ejusdem delineata. Neque aliter intelligi comode possunt μυστήρια τῆς βασιλείας τῇ Θεῷ, itemque ἐνθετοῦ ἄναψ εἰς τὴν βασιλείαν τῇ Θεῷ Luc. VIII, 10. IX, 62. & similia. Omnium luculentissime Christus ipse, Regnum suum non esse de hoc mundo Joh. XIII, 35. inquiens, & Paulus noster Rom. XIV, 17. verbis: εὐτὸν βρῶσις καὶ πόσις ἡ βασιλεία τῇ Θεῷ, αἷλλα δικαιοσύνη π. τ. λ. Statum & Rationes regni presentis describunt: ut causa dubitandi nulla prorsus super sit, quo minus statum illum eximium Ecclesiæ Testam. Novi, sub Rege Messia, & vere liberum, si comparetur cum V. T. servili, attamen suis adhuc legibus, donec ad ἀπὸ πίστεως (d) perveniat, cir-

(a) L. I. de Legibus f. m. 426. ed. Gottofr. (b) in Cap. VI. ad Rom. f. 47.
(c) Vid. Erasm. Schmid, ad Matth. VI, 21. p. 152. (d) 2 Cor. V, 7.

euimscriptum, intelligere queamus. Eum vero necessario intelligi oportere inde constat, quia Paullus non modo alibi regni Christi, posthac quoque cum dominio extituri, meminit, & tum quidem plene atque solemniter inchoandi; sed etiam tota textura orationis nostræ (Vid. comm. XXII. coll. II. XI. & XIX.) ad id genus Oeconomici Regni, ut ita loquar, dilucide respicit, quo Fideles *ἐν τῷ κατεστῶ*, tanquam foederali capite, conjuncti sint, Justitia *τῇ θεῷ* donentur *ἐκ τοῦ πατρὸς* *ἀντὶ*, atque ita colligantur *ἐν τῇ σκηνῇ*, tanquam corpore Christi mystico, ut ad salutem tandem ab ipso recuperatam dispensatamq; reducantur. Quæ quemadmodum perficiantur consilia Dei, & quibus mediis s. adminiculis, ad eum finem ordinatis, nemini, nisi qui cum Smalcio, petulant splene, iñno impio homine, *falso* *sumum esse Christum per Sacraenta Ecclesiam gubernare* (a) ausit effutire. Qui tamen, et si illa neget, Verbi Dei, cujus sunt appendices reales & visibles, usum, ad id usque ævum, admittere, atque adeo præsentem prædicationem Evangelii tum cessaturam, non inficiari potuit.

S. XIV. Tradet ergo Regnum Christus Patri, seu (ut verbis enunciemus B. Bajeri) militantem Ecclesiam, quam adhuc *per verbum & Sacraenta colligit, & bonis spiritualibus abunde donat* (b), eumque in finem, ut tueatur suos, hostes omnes, ad mortem usque omnium extremum, *devincit*. Quod novo argu-
mento esse poterit, de hac, non autem alia regni conditione, Apo-
stolum loqui, quia de dominio inter inimicos eosdemque tan-
dem tollendos ac penitus abolendos conceptis verbis, citato
etiam ad id demonstrandum Ps. CX, agit. Conf. El. IX,
7. Jer. XXIII, 5. Eph. IV, 7. ad 16. usque, 1 Cor. XII, 13 fqq.
& variarum imaginum descriptiones, quæ in Apoc. c. I. II. III. ha-
bentur, ubi C. XXI. denique idem per verba: *Καὶ ναὸς*
τοῦ εἰδούς ἐν αὐτῷ, ὁ γὰρ Κύρος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ναὸς αὐτῆς
ἴστι, καὶ τὸ ἀγόνιον ο. τ. λ. more propheticō subindicatur. Id
pro-

(a) Refut. Th. Schopperi p. 34. med. (b) Compend. Theol. P. III. C. II.
scđ. III. S. XVI.

proinde regnum seu potius *Regimen* (sic enim: commodius vocari, nobis semper visum est) variis interea vicissitudinibus & periodis nihilominus definitum, tum desinet, atque ita quoque ejus *Finis*, (utut *Finis*, de quo Paulus loquitur, *huc directo non spectet,*) una cum *Fine Mundi* hujus adspetabilis coincidet. At enim vero ita desinet, ut salva sit maneatque Christo Domino nostro *Regiae Excellentiae auctoritas*, qua Deo per Essentiam, qua Homini, & tñ Æternitatem τῆς σαρκὸς in omnem æternitatem perseveranti, per *Communicationis* (divinæ Majestatis illius) gratiam competens, & imposterum in throno δόξης, cum Patre & Spiritu S., gloriose regendo electos, eternaque eos felicitate replendo, abjectos autem a se puniendo, exercenda: De qua, ut alibi, ita l. c. *Apocalypsf.* Joh. XVII, 24. 2 *Theff.* I, 9. *Matth.* XXV, 41. seqq. 2 *Tim.* IV, 1. &c. agitur. Unde iterum iterumque *distinguendum* esse patebit *inter Regnum Christi in se* (a) quod *juxta totius Scripturae tenorem aeternum durabit, & formam seu qualitatem & conditionem regni, qualis est in hoc seculo, quam cessaturam esse inuit Apostolus*. Vel, quodidem est, sec. quid resignabit & traditurus est Deo Patri: tum quatenus id cum militia hac conjunctum, que illic desinet, cum potestates & imperia omnia abrogabit, & Diabolus una cum suis plenissima subjectione fidelibus subiectetur: tum quatenus per ministerium Verbi & sacramentorum geritur regnum gratiae, quod ministerium in die judicii abolebitur. Similiter *Vorsti*³ (b) candide de nostro loco: *Agi de Regno Mediatoris*, scribit, proprio, deque ea administrandi forma, quam præsens Ecclesia status exigat. Regnabit ergo, addens, *Christas in aeternum, sed alio modo, quam quo jam regnat*. Immo vero distinctionem, *inter regnum Christi diversum & modum regni diversum*, tantum abest, ut inficiari possint Adversarii,

(a) *Verba sunt B. Calovii, in Socinism. proflig. de Off. Christi Reg. Controv.* XII. p. 213. Opp. Anti-Socin. & B. Aegid. quaque Hunnii *Comm.* in b. l. p. 451. ed. Flustik. (b) *Comment. in Epist. Apost. ad 1 Cor. XV. b. l.*

ſarii, ut ne ipſe quidem *Smalcius*, ubi de Regno Christi in cœlis ac terra, ſuper homines atque Angelos egit, ea ſuo ſenſu uti veritus fit, (a) Quam strenue autem ingenioſiſtimus *Przypcovius* Regnū Christi, non commune cum ceteris beatis, ſed eminentius atque *in potestate ſervorum ſuorum glorificandorum* conſiſtens æternumq; deſendat, ingratiis ſociorum, videri potest in *Comment. ejusd. ad Coloff. & Vindiciis contra Wifſouvatium annexis.* (b)

§. XV. Quibus poſitis fundamen‐tis jam perinde nobis erit, quoconque nomine Regnum iſtoc, tandem eatenus terminandum, appellare placeat. Non diſplicet *Chryſoſtomi* no‐menclatura, qui Διπλῆ ἡ τῆς Σωτῆρος Βασιλείᾳ inquit (c), η μὲν ἀρχαιών θεοῦ δέκανης εὐχετός, η δὲ μετά τῆς αἰώνος, ἀρ‐χὴν ἐπο τῆς οἰκουμενικῆς λαμένεται: Vel, quando vocare ſolet re‐gimen iſtoc τῆς οἰκουμενικῆς Βαſιλείαν, *Regnum conju‐ni‐tio‐nis*, noſtræ ſcil. cum Deo, frequentiſſime. (d) Nec improba‐mus, cum *Theodoreto* (e) diſcernit βαſιλεῖαν ἔμφυτον, eſſenti‐ale & naturale regnum, atque χειροtoniū, ex elec‐tione ſingula‐ri delatum Filio Dei, ut θεανθρώπῳ. Quod quidem hinc alii non male, & omnium tritiſſime *Oeconomicum* nominare ſolent. Quæ forma myſterium hoc utcunq; efferendi receptiſſima eſt Reformatarum partium Doctořibus, in quibus nunc nobis mode‐ſtiſſimum *Witſum* laudare liceat (f), qui ceſſaturum *Oecono‐micam Regni iſtius gubernationem*, qualis nunc eſt, ait per mi‐niſterium Eccleſiaſticum & auctoritatē civilem tuende Eccle‐ſie inſervientem &c. Eam enim ille putat per duodecim quoq; ver‐bis ſeqq; intelligendam eſſe. Ceterum & noſtrium haud paucos eandem nomenclaturam uſurpare meminiſimus. (g) *Externum* maluit

(a) *Refut. Smiglecii L.L. de Nov. Error. Arrian. P. II. c. XIV. p. 311.* (b) *Opp. f. 175. § 199. ſqq.* (c) *Homil. CV. T. V. Opp. p. 681.* (d) *in Pſ. XLVII. Homil. XVII. in I. ad Timoth. ad C. VI. II. & Hom. XXXIX. in I. ad Corinth.* (e) *in Pſ. II. p. 4015.* (f) *Vid. Ejusd. Exerc. in ſymb. Apoſt. X. §. XLIV. & in Orat. Domini. Exerc. IX. §. XII. &c. Add. Turre‐tinus P. II. Theol. Elencht. Loc. XVI. §. II. & X. ſqq. Ryffelius, Ma‐refius &c.* (g) *Vid. Dn. D. Pfaff. de Fin. Oecon. Chriſti p. 4. Gerhar‐dus de Extr. Jud. §. 112. & alii paſſim.*

maluit cognominare Cl. Jægerus nostras (a) quia non amplius per Organa externa, nec in medio hostium regnet Christus, sed immediate cum P. & Sp. S. regnum hoc exerceat. Alii, & noster quondam B. Kænigius (b) nuncupare consuevit Regnum *Enigmatum*, *Mediatum*, *Laboriosum* & quasi *tumultuosum*, propter potestates scilicet & hostes, qui negotium ei adhuc facebunt. Ad quem prope accedit etiam B. Jos. Stegmannus (c) cui armiferum & praliare visum est dicendum, quod militanti Ecclesiae respondet. A quo titulo nec Przepcovius, (d) *bellicam* & militarem potestatem vocando, abhorruit; suos tamen de Regno absoluto & extraordinario errores admisit, & licet in omnem æternitatem aliquod relinquat Salvatori, tamen, ut dependens & eminentiae, respectu Patris unius Dei, secundæ finxit. *Pactitum* & fiduciarium non male vocavit Puffendorfius (e) quia pacto inter Patrem & Filium (de quo infra) interque Deum atque homines nititur, tunc consummando. Tritissimus est Regni gratia titulus & commodissimus, quam sequitur gloria aut supplicium iræ. De solo *Mediatorii* regni nomine videntur discrepare Doctores, nam plerosque nostrarium animadvertisimus eo abstinere, ob rationes superius redditas §. XII. Et circumspecte admodum laudatus Dn. Jægerus, cum B. Calovio partes quasdam *Mediatoris depositurum*, quam ipsum Regnum mediatorium dicere maluit: quo sensu proinde non omnino vocabulum rejiciunt, neque nobis etiam illa prudentia displicet. *Vicarium* autem regnum, cum Camerone & Calvinio (f) immo etiam Franzio (g) nostro etsi non eo sensu, quasi Christus regnet otioso Patre, sed quia *defixi sumus quasi in sole ejus intuitu*, formidamus appellare, ne vel hinc occasionem

arri-

(a) Tr. de Fœd. Gratia L. II. C. XIV. p. 184. extrema. (b) Vindic. sacr. Disp. LX. inh. l. §. 30. coll. §. 35. (c) Phutin. iuc. Refut. Disp. XXVII. p. 312. (d) Cogitat. in Ep. ad Corinth. Opp. fol. 98. b. (e) Jur. Fec. divini §. 46. p. 162. ed. Lat. Add. Egid. Hunni comm. in b. l. ubi instar feudi considerari posse ait. (f) Coment. uterque in I. Cor. XV. (g) De interpret. Script. Orac. CXIII. f. 673.

arripiant Sociniani suum illud figmentum, de dependente Christi Potestate, & tamen, ut *Przeprovius* ait, nunc quasi independenter atque absolute ei concessa, incrustandi materiam arripiant.

S. XVI. Neque obstant huic *Regno gratiae* h. m. finiendo ipsa *Angelorum*, aut *regimen Angelorum*, quod Christo competere vel ex Eph. I, 21. constat, aut a Paullo ipso *facta* mentio *finis ejusdem*. Multoque minus consequens est, Deum Patrem, cui tradi regnum dicitur, exinde per *Verbum & Sacra menta esse regnaturum*. Nec additamentum denique postremum repugnat, quo regnum *ita traditurum* esse filium Patri affirmatur, *ut subjiciatur Patri*. His enim arietibus nostram interpretationem analogiae Fidei conformem oppugnavit *Smalcius* (a) cum & B. quondam *Schopperus* noster in funesti exitus disputatione, hac in Acad. A. 1613. Resp. *Joh. Sauberto* habita, in eandem pene sententiam nodum solvisset. Sed haud difficulter subverti posse mox apparebit. Quid enim (I) frequentius, quam ut tradantur aliis, quæ retinentur, ita ut communicentur: quod ipse fassus est *Smalcius*, fieri quotidie in disciplinis a Præceptore discipulo traditis. Et quamvis excipiat aliam regni esse rationem, quod in actione externa consistat, non in qualitate interna: unde etiam Joh. V, 22. Pater filio judicium tradidisse dicatur, *qui in sua persona*, ex eo tempore, ad mentem *Smalci*, non gubernet populum suum; male tamen eum locum hoc applicat, ut Thesin suam aut exceptionem, quam gratis sumvit, cuique experientia omnium Regnorum (b) & ipse locus classicus Matth. XXVIII, 18. coll. XI, 27. repugnat, stabiliat. Etenim vel visibile tantum judicium l. c. non Patri adjudicatur, sed Filio: vel, quod satius est, & mori gentis, in qua Christus vixit, & cum qua collocutus, congruentius, *Negatio non simpliciter accipienda*, sed per *Non solus*, aut *Non tam* expli-

(a). Ref. *Theb. Schopp. de S. Trinit. f. 34. Racov. A. 1614.* (b) *Conf. etiam Mof. Amyraldi Diff. de Oeconom. Trium Pers. in Opp. Div. Hale A. 1715. rec. §. 20. Jqq.*

explicanda: cuiusmodi Gen. XXXII, 29. Joh. XII, 44. Marc. IX, 37. exempla videas. Idque *cum* ad retundendam Iudeorum, Christum flocci facientium, impietatem, ob quam aliquis sepiuscule idem Sospitator O. M. oratione in contrariam partem versa, *sua non esse, quæ preloquatur, sed Patris sui*, ait, atque adeo hoc quoque modo a se impostura calumniam amoliebat: *tum* propter paucum Evangelicum, cuius vi omnia peccata quidem *venientis iræ*, sed sola *incredulitas* permanentis judicii seu damnationis proxima caussa est. (a) Quam etiam ob rem eadem, quæ & ipse operetur, Patrem operari, universe affirmat co[m] XIX, & mox honorem hinc quoq[ue] omnem ad *equalitatem* reducit, nihil sibi soli vindicans. Quod medium judicium porro illustrant loca Rom. II, 16. Hebr. XII, 23. & Act. XVII, 31. Ad *Angelorum* regimen II. insulæ provocat Smalcianus, quos nemo unquam nostratum, & sanorum Theologorum, Regno Christi gratia, seu officio *uersiris*, ipsis applicando, subdidit: Hos enim, credimus, cunctos gloriose gubernari, quemadmodum & ipsis in gloria vivunt, brevem viam dudum, sine Pacificatore, emensi. Quibus in solemniori olim universalis omnium, etiam hominum electorum, panegyri nos speramus accessuros. Ad hos ergo cum modus ille gubernandi, in his terris, Oeconomicus, *πρὸς τὴν ἀναγέλασθαι*, perditorum, *ἐν χειρὶ* Eph. I, 10. &c. ut ita dicam, *Restauratus* non pertineat, neque de participatione directa hujus regni cogitandum est. Conf. i. Petr. III, ult. & Eph. I, 21. De præconibus autem æterni illius, quod nuper personuit, Evangelii facti vel verbum addere piget. Ceterum, si saperent Sociniani, ex illa Capitis dignitate, super ea, quæ sunt in altero seculo, atque Angelos nominatim, constituti, Regnum Christi gloriae haberent potius quod addiscerent, quam impugnarent.

§. XVII. Quæ tertio loco (III.) de Fine Regni profert
D Smal-

(a) Conf. Job. III, 36. XII, 48. Col. III, 6. &c.

Smalcianus, illius puta, quod *Vicarium* solent appellare, unde & de suo ille Pronomen *Eius* inferit, supra jam sunt discussa. Quæ autem de fine mundanorum imperiorum *B. Schopperus* adjecit, aut Finem totius mundi a potiori designant, aut solam potestatum supremarum in his terris sublatam auctoritatem. De priori itidem jam dictum est sententia. Posteriorem vero tueri, utpote nimis angustam, & ipsi veremur. Existimamus enim per Principatum, & potestatem *omnem* universæ, quicquid in hoc Regimine Christi *militari* & *armifero* supremo huic *Dominu* obninitur ad tempus, pro ratione *Oeconomiae* præsentis, intelligi oportere; ita ut neque *Schopperi* ad sola imperia mundana, ut videtur, ea restringentis: neque *Socini* (a) & *Aseclarum* nonnullorum, ad Dæmones tantum referentium, opinionem probemus. Manifestum enim est & *omnem dæmonum* & *solas inimicas* Christo potestates, (ubi etiam non opus fuisset alioqui ultimi hostis, nisi cum respectu ad ante memoratos, meminisse,) & Dæmones denique, atque homines, cum Vitiis hisce inhærentibus, quorsum etiam *Coccejus* has *dæmonias* porrigit, (b) denotari. Idque cum personis & rebus, alibi hisce verbis descriptis, 1 Cor. II, 6. Rom. VIII, 38. sqq. XIII, 1. sqq. Col. I, 16. II, 15. Ebr. II, 14. Luc. XI, 21. 2 Cor. X, 4. sqq. Gal. V, 17. convenient, & Prophetarum V. T. atque Apocal. in N. T. a Cap. XIII. usque ad finem sub schemate bestiarum propositis vaticiniis, ipsiusque Antichristi exitui 2. Thess. II. præsignificato, consentaneum est. Hæc ergo nos non morabuntur. Postremam autem, quæ IV. est, Objectionem ad examen revocare satius erit. Eam maximi ponderis esse, ut breviter multa complectamur, fateremur, si *adgrediatur* illa, qua Patri regnum traditus dicitur Christus, singulari quadam ratione, v. g. permutatione aut demandatione vicis, quod vul-

go

(a) *Vid. ante cit. Epist. ad Synod. Chmelnic. T. I. Opp. f. 242. b.* (b) *Com. ment. in b. I. T. IV. Opp. fol. 734. med. Add. Clem. Stromonis Medit. in Ep. ad Colog. II. f. 240. sqq.*

go lampada tradere dicimus , fore affirmaretur . Sed , quando generatim ea actio solemnis Christo tribuitur , addita notabili Victoriae , ab hostibus reportata plenissimæ , significacione ; quid aliud , quæso , intelligi potuerit , quam Extrema illa , post rite peracta omnia , in Regno gratiæ aut Fidei (ut Lutherus (a) nominat ,) Ovatio , seu cum triumpho , cuiusmodi quid Joh. Apoc. c. XXI. adumbratum est , Fidelium æque ac hostium , horumque ut cum Capite suo Victorum , illorum autem ut superatorum , Repræsentatio . Unde non male B. Dorscheus (b) noster eam traditionem , non tam actum Depositionis (nisi certi modi gubernandi ,) sed Propositionis ad lustrationem quasi , & gloriam vocat : sicuti belli dux , destruetis hostibus , Regi , qui per ipsum hucusque bellum gesserat , triumphabundum exercitum servatosque Cives sisstat . Quem solennem & gloriolum actum Titi Vespasiani , Patri Flavio , cum triumpho Victos Judeos & Orientem tranquillatum exhibentis , qualicunque exemplo B. Danhauerus (c) bene illustrat , & quotidiana experientia delegationum finitarum confirmat . Certe enim legatos , deposita legatione , servare dignitatem , provinciaq; decedentes , non tam minui quam amplificari sœpe honoribus , & Oeconomiae partibus defunctos suis , rationibusque optime redditis , ad altiora haud raro promoveri , in vulgus constat . Quæ applicata ad hoc argumentum , suo scil. modo , salvaque Christi prærogativa divina , finis Oeconomiae præsentis , collatis Sp. S. testimoniis , Eph. V. 27. & I. Petr. III. 18. (ια ημας προσαγαγειν) amplius corroborat . Tantum abest , ut hinc quidquam solidi , in quo tamen Schlichtingius (d) multus est , contra summam divinitatem Christi concludi possit , ut eam Victoris hujusmodi amplitudo validissime constabiliat . Quo pacto , nihil supereft , quam

D 2

ut

(a) T. VI. Jen. Germ. f. 236. b. & alias sepius . Add. Comment. in Epist. ad Corinth. Tom. VI. eod. f. 242. b. (b) P. II. Theol. Zachar. Disp. VII. §. 7. add. Pfaffi Fin. Oecon. Christi Ed. II. p. 4. (c) in Hodosoph. Phænom. VIII. f. 780. &c. (d) Comment. in b. l. & scriptis contra Meisnerum passim .

ut duriori tandem nodo , quem *Smalcianus* l. c. nexit , quando Paullum , urget , *Christum ita traditurum esse regnum dicere* , *ut etiam filius ipse subjectus futurus sit Deo , manum , Deo adspirante , admoveamus* . Cui labori *Alterum Caput nostrae Dissertationis* , exorato prius calidis precibus ipsius Christi lumine , destinabimus .

C A P. II.

Interpretationes reliquas examinans & vero-similiorum adstruens.

S. I.

Non sine ampullis & præfidenti jactantia idem ille , quem ad calcem Cap. I. ratiocinantem audivimus , *Smalcianus* : *Quanta sit argumenti , inquit , ex hoc loco , (de Subjectione filii Dei ,) ducti vis , agnoscat benevolus & pius lector , quippe que nullis , nec veterum nec recentiorum Theologorum , glossis ita obscurari potest , ut non semper ipsius splendor appareat* . Et experti sumus hactenus , ita addit ostentator , stante sententia de Christi persona , quam sequantur adversarii , nullam ad hac verba afferri posse explicationem , que non sit admodum ridicula vel certe falsa . Unde si quis alius locus sacrarum literarum , hic ad detegendum errorem circa personam Dei , (forte Christi) quod sit ipse Deus unus , longe aptissimum est . (a) Nostrum ergo erit , quo plus roboris , uti in margine etiam l. c. idem adscriptis , ad evertendum præcipuum caput fidei inesse tanto arieti putat , eo majori industria ad repellendum illum conitti . Quo labore cum defuncti jam dudum sint Ecclesiæ Doctores gravissimi , quibus *Arrianorum* cohors non minori olim impudentia his verbis oggestis molesta fuit , (b) operam dabimus ,

(a) Refut. Thesum Schopperi p. 32. (b) Unde Augustinus : Qui Filium Dei Parti non esse aequaliter contendunt , solent usurpare i. nihilius hoc testimonium i. Cor. XV, 28. ait. Vid. Ejusdem. Quæstion. 69. n. 1. f. 40. T. VI. Opp. Ed. Bened. Paris. Et Theophoretus : Hunc locum ii. qui , cum Arrio & Eunomio senserint , in lingua assidue habere consueverunt , ea ratione existimantes se de unigeniti dignitate detrabere . Comment. ad b. l.

dabimus, ut eadem, qua illi, animi praesentia lacertos moveamus, & vietrix Ecclesiae florentissima armorum exemplo praeeunte, (a) renovatam duntaxat aciem τῶν ἐπηρεαζόντων adversus θεονθεωτούς εἰς αἰώνας εὐλογητὸν disjiciamus. Quod dum constitutum est pro nostra virili parte perficere, eam servabimus methodum, ut, quas vias inierint bene multi ad difficultatem hanc (quis enim neget haud vulgarem esse?) solvendam tollendumque e medio scrupulum, primum exponamus, nostraque subinde addita modesta Πανείσαι, quid verisimillimum sit inter omnia professi, tandem alia quadam ratione rem impeditam aggrediamur, ac sub finem denique omissis ceterorum sodalium objectiunculis, *Smalcianas* atque *Crelanianas*, si spatium erit, quae restant, *Φλυαριας* discutiamus.

§. II. Quod antequam fiat, non possumus non magnopere conqueri, & Veteres Ecclesiae Doctores, & recentiores post repurgatam a sordibus Pontificiis veritatem minus circumspete nobis egisse videri permultos; quando non uni certe & satis stabili sententiae inhaeserunt, sed, vel recensendis tantum opinionibus operam dedere, vel pluribus etiam, tanquam suis, tandem propositis, Lectorem in incerto quodammodo fluctuantem reliquerunt. Ita enim factum est, ut, quasi nihil nobis certi constaret de loci difficilis sententia, Adversariis animus cresceret, & tanto protervius veritati insultaretur. Quod dictum est, exemplis demonstrare luculentis in proclivi esset, cum Veterum quorundam, ut *Hilarii*, *Ambroxi*, *Theodoreti*, &c. tum recentium, & magni alicujus Theologi, (ut alios haud dissimiles non attingamus,) potissimum documento, qui terve quaterve, in *Libris diversis*, ea de re differens, uti solet, doce, fuse, atque ubertum, modo hanc, modo illam sententiam

D 3

(a) Inter quos ex instituto b.l. vindicarunt, preter Chrysost. Theodoret. alias que Gracos & Lat. in i. Cor. XV. Comm. G:eg Nyssenus Sermon. peculiari: Apud Lat. Hilarus de Trinit. toto pene L. XI. & Ambrosius L. V. de Fide c. VII. & VI. &c. item Epiphanius h̄eres. 69. f. 260. seq. ed. Hervag. Lat.

elegisse videtur, atque tandem vix in *Manifestatione* subjectio-
nis acquievit. Quem B. quoque *Sennertus*, ingenti ceteroquin
diligentia, in hujus dicti sensu evolvendo, probata, plures hypo-
theses tandem in unam conjungendo, imitatus est. (a) Quam
ob rem, si plures a nobis quoque adduci *Opiniones* videris, L.
B., non erit, quod nos approbare easdem, aut peræque bonas
atque solidas esse credere, aut anticipites fluctuare putas. Erunt
enim haud raro quædam notanda, quæ quam debili nitantur
fundamento, aperte ut moneremus, nos induxit ostendent.
Et quanquam non prohibeamus, si nonnulla occurrant, qui-
bus etiam contra pertinaciam *Adversariorum* Te confistere
posse arbitreris, ut per nos uti iis liceat, quoniam *Analogia fi-
dei* nihil contrarium contineant; nobis tamen id vitio haud
vertendum censemus, si soli fidei analogiae h. l. haud confiden-
tes, sed alia quoque adminicula *Exegetica* simul conferamus.
Eamque proinde, cum non minus, quam *usum* vocabulorum,
una cum *contextu* orationis, &c. nos consecutabimur diligen-
tissime, (tametsi non nesciamus a Socinianis petulanter ri-
deri, utpote qui totum sistema fidei pervertunt,) spes est,
a linea recta, neque dogmatica, neque hermenevtica, nos
aberraturos.

S. III. Ad hanc igitur cynosuram si omnia exigamus, non
obscurum erit, quod pretium sit statuendum immanni Sabelliano-
rum & Marcionitarum errori, *Exegetico* æque ac *Dogmatico*,
quos tales futuram esse Christi ad Deum Patrem subjectionem,
ut in patrem filius refundatur, refert docuisse *Ambrosius*. (b)
Ne enim inpræsens repetamus, quæ de Personarum divinarum
perpetua distinctione Reali, (ubi sunt manentque dñs & qđ
dñs @ P. F. & Sp. S.) vulgo cognita sunt, recte l. c. *Ambrosius*
hinc efficit, fore, ut quia Patri filioque subiecta sint omnia, in
Patrem & Filium quoque omnia resolvenda seu refundenda esse,
quo

(a) *Vid. ejus Noviss. omnium novissima 4. ed. Witteberge A. 1667.* (b) *Lu V.
de Fide c. VII. f. m. 137. T. II. Opp. ed. Froben. A. 1527.*

quo Deus sit omnia in omnibus creaturis, consequatur. Quod quam parum absit a tetterimo Pantheismo, impudentissime Atheismi genere, nemo non intelliget. Et quis quæso eam τὴ ὑπότασσην notionem docuit infelices exegetas, quam ne per somnium quisquam de notissimo vocabulo, sive usum spectes, sive etymologiam, cogitaverit. Idemque adeo de quibusdam aliis, jam ante Augustinum Eutychianistri semina spargentibus, judicandum, quos ille (a) *humanam naturam in Dicitatis substantiam aliquando mutari & converti*, ait sensisse, eosque, sive de præterito tempore explicarint verba Apostoli, sive de futuro, ut par esset, accipiant, ad absurdâ multa deducit hinc profuens. Nobis autem brevem contra istos ἐπίκειον verbis Petri Martyris (b) addere placet: *Miramur, quomodo illi intelligere potuerint, subjici idem esse, quod transformari: cum subjectio potius videatur utriusq; natura conservationem notare. Quare cum error iste adeo scripturam torqueat, seipsum prodir.* (c)

S. IV. Proximum ab insipida hac detorsione, neque scopo orationis, neque ejus texturæ respondentे, locum dabimus magnorum quorundam in Vet. Eccles. Virorum sententiæ, qui nihil aliud quam Filii a Patre originem per generationem, atque hinc promanantem relationem, indicari his verbis persuasi fuere. Cyrillo eam tribuit hypothesin, quod nempe *subjectio seu obedientia non tollat equalitatem essentia & potentia, sed ostendat ordinem personarum*, his ipsis verbis Philippus Melancht. (d) nec sibi displicere hanc brevem responsonem addit, utut magis propriam subjugat, de qua deinceps. Et fuisse non insolitam in *Ecclesia Catholica* inter media etiam Arrianorum certamina, quod mireris, eam loquendi formam, *Christum subjectum esse Deo Patri, filii nomine, non creature conditione*, auctor est Phæbadius, accri-

mus

(a) *L. I. de Trinit. c. VII. sed Ed. Bened. Paris. c. XV. sqq. Tom. VIII. Opp. f. 473.* (b) *Comment. in I. ad Cor. Tiguri f. m. 415.* (c) *Add. Terrelli contr. Præream c. IV. contrarium binc prephantem.* (d) *Enarr. in Symb. Nic. Tom. II. Opp. f. 324. sqq.*

mus Arrianorum oppugnator. (a) Digitum vero sine dubio intendit, præter alia privatorum quorundam duriora, (inter quæ etiam apud vetustiores Patrem haud raro *causam* filii dictam latiori sensu legimus,) dicta & effata, ad Conc. Sec. IV. pene mediis *Sirmiense*, in cuius confessione verba: ἡ συντάσσουσα τὸν νιόν τῷ πατερὶ, ἀλλ' ὑποτεταγμένου τῷ πατερὶ κ. τ. λ. leguntur: quæ, uti non nisi originis ordinem denotent, non autem servitutis ὑποταγὴν, ex præcedentibus anathematismis patet. Nec defuisse alios orthodoxos, (certe apud Ambrosium etiam atque Epiphanium adhuc vestigia occurrunt,) Ecclesia Patres, qui ὑποταγὴν Christi i. Cor. XV. secundum divinitatem etiam intellexerint, candide fatetur B. Dorschæus (b); at multa sibi eos permisisse, qua hereticorum *caussa* post mutarint, & D. Heinssi verbis, neque commode id factum, neque loco difficulti istac αὐτορολογία satisfactum esse confessim addit. Unde verbum ὑποτασσεῖν alia notione accepisse eaque meliore, Sirmenses Patres conjicimus: de quo p. p. dicemus. Ad rem ipsam quod attinet, *Filiū τὸν πατέρα i.e. ordine, non tempore, non dignitate, non potestate posteriorem esse Patrem, communicatio essentie, non aliis, quam quæ Patris est, per generationem aeternam*, ut B. Kromayeri (c) verba habent, docet. Ad locum vero Paullum applicari, si cetera bene sè haberent, vel solum τότε, quod non respondet emanationi isti secundæ personæ a prima ab æterno, & futuri temporis ac eventus nota est, prohibet.

S. V. *Ingeniosa* magis, sed vel hoc nomine minus *plausibilis*, eorum est conjectura, qui Mythologiam paganam refodantes, Paullum ad notissimum de *Saturno* a filiis regno expulso (d) & horridum commentum, ex lapsu Adami, Paradiſo ejecti, haud dubie confictum, respexit, eique contraria de

(a) *Liber. contra Arrian. c. 18. ad quod conf. annotat. Casp. Barthii.* (b) *Syllog. Vindic. & Animadu. ad Bellarm. Alleg. ex Exad. Diff. I. ad c. III. §. 13. p. 71.* (c) *Theol. Pos. Pol. P. II. L. III. Aphor. XVIII. f. 57.*
(d) *Vid. Virgil. Aeneid. L. VIII. v. 319. sq.*

de Christo docere voluisse existimarentur. Cujusmodi quid post *Theodoreum*, exercitatissimum in talibus studiis Virum, *Isidorum Clarium*, (a) *Bellarminum* (b) aliasque miramur repetuisse, ac serio credidisse, eam fuisse mentem Apostolo; multo vero magis *B. Calixtum* (c) & *G. Königium* (d) nostrum, hunc obscuriuscule, illum vero apertius, eam sibi opinionem quadantenus probari innuisse. Cum tamen parum absit, quin eo pertinere illam existimemus, quo Petrus 2. Epist. I, 16. σεσοφισμένος μήδειας, quos in annunciendo adventu Christi non solere Apostolos sectari ait, refert. Allusiones, fateor, haud raro ad ritus Græcorum receptos, cujusmodi erant Ludi γυμνασίου, in scriptis Paullinis occurunt. Nec tuebor, Mythologiae nulla prorsus vestigia, sed cum detestatione, aperta aut obscura, reperi. At in præsenti oratione hujusmodi argutias, neque sanctitas argumenti, neque etiam vocabulorum tritorum ac simplicium, nihilque antiquitatis, quæcumque sit, spirantium, vis atque emphasis admittunt aut requirunt. Nihil enim est, quod in voce ιπταμενη singulare animadvertere liceat, ut illustratione inde petenda opus sit. Et cum nec nota nec vestigium in præcedentibus ea de fabula inveniatur, quemadmodum nunc demum eo delapsus sit Apostolus, non apparer; quæ si *Cretenibus* scripsisset, uti Epist. ad Titum eo missa fuit, vix hujusmodi suspicionem generarent. Ut taceam, ne sic quidem, si vel maxime occasio hinc data aut sumta ab Apostolo videretur, duriori phrasí ex mythologíâ consultum fore, ut potius ex contrariorum natura difficultas augeretur. Quod ipse etiam *Theodoreetus* prævidit, quando non solum non subiciendum a Filio Patrem, h. e. e solio haud deturandum, Apostolum indicare velle, inquit; sed etiam filium subjectionem sibi convenientem subiturum, addit. Ea vero, quam bene nodum solvant, ita nimirum, ut pene constringant magis, omnes intelligent.

E

§. VI.

(a) in *Bibl. Critic. Anglic. Coment.* in b. l. (b) *T. I. Controv. L. I. de Clerka c. XVI. fin.* (c) *Expos. literal. in Ep. Paul. ad Cor.* (d) in *Vind. Sacr. l. c.*

§. VI. Missis itaque his nenniis Deastrorum, de quibus non sine indignatione I. Cor. VIII. & XII. atq; Act. XVII. locutus est candide, aliorum conatus ad examen vocabimus, & in his primum, qui solo *consensu* inter æquales rem omñem expediti posse arbitrantur, audiemus. Pertinent ad eam classēm, omnium clarissime hanc mentem suam professi B. Brochmandus (a) & G. Königius noster, (b) quanquam & alii subinde, sed desultorie, uti jam questi sumus, hanc hypothesis attigerint, atque inde ad alias mox discernerint. Verum non tantum recentiores, sed ipsum etiam *Cyrillum Alexandr.* acerissimum disputatorem, in Thesauro seu de SS. Trinit. Lib. itemque *Oecumenium* & *Theophylatum*, Chrysostomi exscriptores, ipsumque *Chrysostomum* (verbis: τὴν τελεῖν τρόπον τὸν τατέρας οὐόντας δευτέρου) eo referimus: qui tamen mox ad alia deflectunt. Utut sit, vim profecto vocis ἀποτάξεω ea quoque explicatio minime exhaustit, &c., quod fatetur Brochmandus, difficultem instantiam Socinianorum diligentius expendendam, modumque impeditum, haud feliciter solvit. Quid si enim excipient eam subjectionem seu ἀποτάξην aeternum duraturam esse? Et licet non sequatur violentam esse subactionem, (de qua Luc. X, 17. 20.) aut dependentis ab altero obsequium: quo sensu utique nos Deo subjecti sumus Hebr. XII, 9. Eph. I, 22. totaque Ecclesia c. V, 24. Christo, & subditi Magistrati, Mulieres viris, Servi dominis &c. Rom. XIII, 1. Col. III, 18. Tit. II, 9; Tamen dignitatis æqualitatem laboraturam esse ejusdem numero essentiae, si quæ persona alteri cedat, ultro se eidem subdat, atque sponte quasi partes muneric relinquat, quibus, altera cessante, altera defungatur. Id enim loca adducta Scriptura S., si quid probant, depositum: immo multo plus inferunt, quam par est. Quandoquidem 2. Cor. IX, 13. manifesto de obsequio auditorum ad elargiendas eleemosynas indu-

torum

(a) *Syst. Theol. L. de Christo & Offic. J. C. Cap. VII. Seçt. III. Quæst. III. p. m. 1014. 4i. form.* (b) *in Vindic. Sacr. Disp. LX. §. 37. sqq. f. 147. sq.*

ctorum, ab Apostolo ἀγορεύτι, agitur, & ad Gal. II, 5. obsecun-
datio, præscribentibus, quid agendum sit, falsis fratribus, aper-
tissime legitur denegata. Solum 1. Cor. XIV, 32. de Prophe-
tis sibi invicem υποτελεύμενοι, Apostoli monitum quadrare
videtur; at nihil omnino quam spontaneum obsequium, cum
cessatione operis prioris, alteri in solidum reliqui, sed ejus-
modi tamen sicut, quod non collatas operas, sed manifestam
vicissitudinem, aut ad nutum alterius promtam, volunta-
tis demonstrata, præstationem, sed ad divinas personas male con-
gruentem, (a) prodit. Addit quidem B. Königius locum 1. Cor. XVI,
16. & 1 Petr. V, 5. ubi de æqualibus itidem υποταγῇ enuncie-
tur. Verum, quod ad priorem attinet, manifesta est & illic inter
Doctores & Auditores, præfectosque adeo, (ηγουένες) & a Deo
ad obsequium quoddam (ὑπακοή) subiectos, relatio. Conf. Hebr.
XIII, 17. Altero vero, ubi mutui obsequii fit mentio, tametsi
alter æqualium alteri non imperet ut præfectus, cedere tamen &
ἰδιωτικούν fugere & humilitati ex adverso studere Apo-
stolus omnes jubet: idque, junioribus potissimum familiare
vitium, abesse ab universis, ceu scopus sermonis ostendit, præ-
cipit. Hujusmodi vero obsequendi aut humilitatis genus, quod-
cunque eligas, præsertim, si ad divinam Christi naturam,
quemadmodum I. c. etiam B. Königius fieri posse existimavit,
applices, utrum non sit periculorum afferere de Filio Dei, nobis
dubium esse videtur, aut saltim oppido obcurum. Tum vero id
magis infirmabitur, quando deinceps ostenderimus, verba Pauli,
forte & Petri, ne quidem de obsequio ex tritissima notione, sed ordi-
nemero esse intelligenda. (b) Quocirca ipse quoque B. Broch-
mandus, (æque ac Cyrilus,) videtur tantopere non confusus
huic interpretationi, quin confessim ad agnitionem & profes-
sionem Filiū solennem, quod omnia acceperit a Patre, & sub-
missionem ipsius tanquam creature Creatori factam se conver-
tat: de quibus paullo post agemus.

§. VII. Consultius, ut nobis quidem videtur, *Philippus Melancht.* judicavit, quando cum Christoph. Pezelio, Sectatore notissimo, *Filiū duplīciter considerāndū* jubet (a) *vel quoad officia, ut persona missa sit, vel quoad essentiam divinam.* Ut persona missa, inquit, & assumens H. N. subjicit se aeterno Patri, & tradet regnum Deo & Patri, i. e. adducet Ecclesiam in conspectum Patris &c. Alter modus regni est in vita eterna, ubi non erit regnum per ministerium Evangelii, sed se Deo immediate communicabit beatis &c. Quæ breviter Pezelius ad objectionem repetitam h. m. applicat: *Filius subjicitur Patri respectu officii, quatenus est Ecclesia sive omnium Patri subjectorum caput.* Ita illi: Sed vereor, ut hæc quoque satisfaciant pertinaci adversario, qui fortassis ad phrasin de Regno tradendo & officio Regni seu regiminis gratiæ finiendo, facere illustranda ea concedet; at vim & significatiōnēm usitatam subjiciendi actus, qui sua natura obsequium inferat, urget. Et si ipse *Philippus* verba: *Hæc persona, que est Christus, & est Rex Ecclesie, Deus & homo, in quantum Rex, erit sub Patre seu mittente divinitate, intellecta velit de divina natura,* quod non crediderim, non bene rationes subducit; si vero de humana natura, jam videtur, & que ac alii sua opinione deserfa, ad aliam transgreedi. Ut paucis multa complectar: Optime hæc quidem de præsenti statu Ecclesie & ejus ad unum caput omnia adducendi fine (Eph. I, 10.) differuntur; sed scrupulum de subsecutura ipsius filii ὑποταγῆς, qui certe non est in numero τῶν ἀνακραζόμενων, neutriquam tollunt. Neque *Augustini* sententia, a Pezelio (b) adducta: *Christus, in quantum Deus est, cum illo nos subjectos habet: in quantum Sacerdos, nobiscum illi subjectus est;* nisi me omnia fallunt, aliter, quam de Regno hocce œconomico agunt, aut si ad gloriam usque porriganter, similiter ad Humanam Naturam (de qua deinceps dicturi sumus,) respicient; at neutrabi durities vocis, *subjicitur, videtur emollita.*

§. VII.

(a) Enarrat. Symb. Nic. Tom. II. Opp. f. 324. & seq. ed. 1601. & alibi. Conf. Arg. & Objet. a Pezelio coll. P. I. p. 156. sq. (b) Ex. LL. de Trinit.

§. VIII. Hac igitur via cum res nondum sit expedita, aliam & tritam magis a plerisque ineamus, atque nunc ordine potissimum expendemus. Eam puto, in qua, *Persona Sospitatoris* quasi seposita, *Corpus ejus Mysticum, Ecclesiam*, (quam solent etiam Regni nomine nonnulli comit. XXIV. intelligere,) hactenus *collectam*, deprehendimus pro Subiecto, ut ita loquar, subjiciendo haberi. Quæ quidem opinio, uti præ ceteris aplausum meruit, & revera ad diluendas validissime hostium divinitatis Christi objectiones faceret, si firmo staret talo, ita consideratione in primis digna est. Accedit quoque non mediocris auctoritas ex veterum atque recentium Doctorum longe plurimorum mirifica approbatione. Inter quos post *Origenem*, qui subiectum in his, quos subdidit Patri, & in quibus opus, quod ei dederat Pater, consummarit, fore ait, (a) eminent secundissimus *Chrysostomus* huic sententiæ constanter inhærens, (b) & *Gregorius Nyssenus* tota oratione ad h. l. (c) enixe id agens, ut hanc unam & genuinam esse explicationem loci difficillimi evineat: quemadmodum insipientibus, ex *Scopo Apostoli, Parallelis locis*, ubi Ecclesia Corpus Christi, immo Christus vocetur, & ex natura unionis mystica id anxie eum demonstrare conatum esse, patebit. Nec *Theodoreetus, Athanasius, Greg. Naz. & Cyrilus* ab eadem hypothesi alieni fuere, &, qui aliter senserunt ut plurimum Latini, eam tamen subinde attigerunt. In eandem quoque propendet *Ambrosius* (d) Nondum subiectum esse Christum, cuius non sunt adhuc subiecta membra, scribens. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc & ipse subiectus erit, ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus. & p. p. Subiectum in nobis, Corporis scil. sacramento, Christum fore ait. (e) Omittimus ceteros, & inter recentes, quos conferre licuit, nominamus B. *Calixtum Sen.* (f)

E 3

qui

(a) *Vid. Hom. VII. in Lev. c. X.* (b) *Homil. XXXIX. f. 683. ed. Front. Duc. in 1. Cor.* (c) *Quæ habetur in Opp. edit. qua utimur Lat. Basil. ap. Eus. Episcopium 1571. f. 105. sqq.* (d) *Tom. I. Opp. Lib. V. de Fide c. VII. f. 138. ed. Froben.* (e) *Add. Hieronym. Ep. ad Amand. T. III. Opp. f. 91. b. qui tam alibi alter sentit.* (f) *Expos. literal. in b. I. f. 113.*

qui communissimam expositionem vocat, & verissimam, atque cum precedentibus & sequentibus commodissime coherentem: quod nobis non videtur verisimile. Deinde B. Gerhardus occurrit (a) Christum in suis membris, cum quibus unum Corpus Mysticum constituat, cupiens intellectum: utut alibi de Declaratione interpretetur. In primis vero hoc referre oportet B. Glassium id operose agentem (b) ut probet. Quibus, si placet, & B. Ag. Hunnius, J. Hulsemannus, (c) Ossander, ac plures nostrum, ut Fabricius Sen. (d) Saubertus noster, (e) ut superstites omittam, addi queunt: Nec B. Scherzerus & B. Spenerus abhorrent, & posse ita accipi, secundario sensu, uti posterior addit, concidunt. Ex Reformatis Oecolampadium (f) in ea sententia fuisse, H. Bullingerum item, (g) Ben. Aretium, Th. Bezam, (h) Fr. Junium (i). Ex recentioribus Maresum, (k) Turretinum ex parte, (l) & planissime id assertem Rysenium (m) &c. huic hypothesi addictos observavimus. Nec dubitamus plures esse, & nisi fallor, ipsum quoque, sed fluctuantem non nihil, Coccojum, qui ita sentiant. Ut, non sine causa, (Pontificios enim tacui interpretes,) Calixtus eam communissimam appellari.

§. IX. Quamvis autem tritissima sit & Analogiae fidei in primis consentanea, nulla tamen est, cui συνέπεια orationis totius magis aduersetur. Etenim Filius & quidem ipse (αὐτὸς ὁ νόος) dicitur subjiciendus τῷ ιποτάξιᾳ αὐτῷ αὐτῷ: quæ clarissima sunt demonstrativa, personæ non mysticæ, sed θεωρητικῆς illius in secula benedictæ, indicia & signa. Conf. Act. II, 36. ubi pari emphasi pronomina αὐτὸν & τὸν τὸν ιησοῦν reperies. Similiter de Tribus personis divinis αὐτὸς ὁ πατὴρ Joh. XVI, 27. αὐτὸς ὁ μέγας Θ. Thess. IV, 16. αὐτὸν τὸν ιησοῦν Rom. VIII, 26. proprie & sine metonymia constanter legitur

(a) LL. Theol. L. de Vit. Ætern. §. 62. (b) Philol. Sacr. P. III. Rhet. S. Tr. II. c. III. p. marg. § 2. (c) Brev. Extens. c. XIV. §. 2. (d) Pral. Theol. L. de Deo f. 101. (e) In brevibus Vindic. Disp. sue sub Schopp. hab. seu Anti-Smalcio §. LX. f. 49. (f) Comment. in Daniel, L. II. c. 7. (g, h, i) Commentt. in N. T. l. c. (k) Hydr. Socin. P. II. f. 310. (l) Theol. Elench. P. II. L. XIV. quest. XVII. §. XI. f. 537. (m) Epit. Theol. Turret. Ib. f. 124. ed. Amstelod. 450.

gitur. Add. Luc. XX, 42. 1. Cor. III, 15. 2. Cor. XI, 14. (ubi
Satanas eadem loquendi forma a suo corpore distinguitur)
1. Petr. II, 2. Apoc. XIX, 12. & XXI, 3. Accedit eum Filium
designari: Qui primitiarum nomine antea insignitus erat, & Chri-
stus tum vocabatur, comm. XXIII, Qui regnum patri tradet:
Qui potestatem omnem abolebit comm. XXIV. Sub cuius pedes
omnia subjicienda sunt & subjecta erunt, solo patre excepto sub-
jiciente, comm. XXVII. Nam Sp. S. non excludi, more & Phrasí
Scripturar, quicquid non est Deus Joh. XVII, 2. & 1 Cor. VII, 6.
sic innuentis, per se intelligitur. Tum, ne quid dicam, quod unum
B. Calovius huic sententiae opposuit, (a) Ecclesiam jam esse subje-
ctam, non demum subjiciendam, vix poterit aliquis in Sacris Lite-
ris locus commonistrari, quo *Filius*, nedum *ipsem* Filius, pro
Corpo Christi mystico accipiatur. *Christi* nomen, & quidem
ob graves caussas, quia concretum personæ est, non Naturæ, me-
tonymice legitur usurpatum pro *Corpo Ecclesia*, una cum ca-
pitc, junctim 1. Cor. XII, 12. Nec ignoramus, idem $\pi\lambda\eta\varphi\omega\alpha$
dici τὸν παῖδα τὸν παῖδας πληρωμένος Eph. I, ult. Nota quoque sunt
Communicationis inter caput & corpus istuc mysticum genera (b)
indicata in locis diversis N. T. Matth. XXV, 40. Actor. IX, 4.
Eph. II, 6. Gal. II, 20. Phil. IV, 13. Eph. VI, 13. &c. At in his
omnibus præclariſ Spir. S. effatis τὸν παῖδα παῖδας πληρωμένος τ. λ. non inve-
nimus. Quæ dum nobiscum animo expendimus & calamo
describimus, in locum egregium Cl. Fegeri (c) denuo incidi-
mus, eundumque prorsus gemina nobiscum sentientem anim-
advertisimus: *Improbabile hoc videtur*, ait, *Ecclesiam hic esse*
intelligendam, quæ subjiciatur. Primo quia de Christo & ejus
regno Apostolus aperte agit, non de Ecclesia: Deinde, quia Christus
legitur pro Ecclesia, sed non filius, qui Patri opponitur.
Tertio, Ecclesia jam ante subjecta est: non ergo tum demum
subjici-

(a) Bibl. Illustrat. ad b. l. f. 398. b. (b) De quibus lege Diff. erud. Dr. D.
Gottfr. Olearii ad Col. III, 1. sqq. & B. Balbi. Meissneri de Verbo Civi-
lianismo Oratio rec. 1697. &c. (c) De Fodo. Gratiae Tr. L. II. c. 14.
f. 183. Add. & D. Parcus in Comment. ad 1. Cor. XV. f. 1022,

subjicietur. Denique Pater Ecclesia non subjicit omnia proprie, sed Christo. Atqui de ejus subjectione loquitur Apostolus, cui pater subjicit omnia proprie. Sicut nempe filius tradet regnum Deo & patri: sic etiam subjicietur Patri. Quo teste acquiescimus.

§. X. Factum hinc est, ut deserta hac opinione, ad nodos solvendos alioqui maxime idonea, si per se & in se spe-
ctetur, plerique Nostratium & Reformatarum quoque partium DD. ad Humanam Naturam eam Subjectionem pertinere affir-
marent. Eo fere modo, quo & Patrem se majorem, Joh. XIV, 28. Servator ipse; Paullus vero Christum τὸν Θεόν I. Cor. III, 23. & θεὸν τὸν Χριστὸν καθαλήν I. Cor. XI, 3. esse, leguntur dixisse. Quae sine dubio de Natura Humana intelligenda sunt, secun-
dum quam Patri subjectum fore Filium, manifestum esse omnino videtur. Neque obstat Filii in præsens nomen, Concretum scil. Naturæ divinæ, usurpatum. Quod enim frequentius, quam ut propter unitatem personæ, quæ Deus est & Homo, Patri & nobis consubstantialis, per communicationem idiomatum, pri-
mi generis, ut vocamus, ea prædicata enuncientur de Deo &
Filio Dei, quæ sunt hominis, & rursus de Homine, quæ Deo
propria sunt: cujusmodi Act. XX, 28. Rom. VIII, 32. 1 Joh. I, 7.
Luc. I, 35. Gal. IV, 4. & alibi obviae sunt propositiones. Quam
dum falsè rident Sociniani, uti a nobis explicatur, doctrinam, (a)
antiquum obtinent, & nihil aliud lucrantur, quam ut vim τὴς
περὶ τοῦ Φευδός sui, negatae scil. Divinitatis æternæ Iesu Christi, pro-
dant. Hactenus ergo nihil repugnat, quo minus Christum
secundum humanam naturam hic tantum intelligendum esse
appareat; de quo, (id enim adjicere placet,) sub ea ratione con-
siderato, Mortem jam in præcedentibus, & Resurrectionem,
tanquam απαρχῆς dormientium, h. s. prædicatam appetit. Solu-
tus ergo ad eum modum nodus breviter & feliciter videbitur.
Ita certe visum est eruditissimis Theologis: Olim Ambroso (b)
& Hila-

(a) Vid. inter alios Ruvarum ad Peusobelium P. II. Epp. n. XVII, f. 134.

(b) supra c. l.

& Hilario, (a) qui *subjectionem* hanc pulchre *infirmioris naturae* *contestationem* appellavit. Inprimis autem *Auguſtino* (b) ea probata est explicatio. Is enim quandam *secundum hominis suscepſionem intelligi voluit*, catholicamque regulam, quam vide l. c., ursit. Neque etiam *Hieronymus* alicubi ab hac opinione longe abest, & exscriptores antecedentium *Primasius* atque *Sedulius*, cum *Beda* & *Lyra*. E *Gracis Epiphanius* (c) & *Basilium* (d) eam potissimum defendere deprehendimus. Superiori ætate suam fecere Mart. *Chemnitius*, (e) *G. Mylius*, & *Baldinus* in Comment., *Conr. Hornejus*, (f) *Abr. Calovius*, inter potiores eam numerans, (g) *Joh. Schröderus* noster, (h) *J. A. Scherzer* inter conditionem *naturæ* (*οὐενὸς*) & personæ distinguens, *Seb. Schmidius*, *B. Spenerus* (i) & alii plerique omnes. Quibus etiam inter Reformatos addi possent plurimi, ubi tamen instar omnium nominamus, post *Jos. Placeum*, elegantissimum *H. Witsium*, (k) atque ex Pontificiis cum *Eftio*, *Bellarminum* (l) & *Menochium*. At neque heic deest, quod scrupulum movere possit. Et moverunt etiam jam alii ante nos; nominatim acutissimus *Camero* (m) futurum quid pronunciari observans, unde *essentialis illa subiectio Filii* a Socinianis facta, cuiusque stabiliente gratia tantopere hoc loco superbiant, refelli optime possit; sed quæ Humanæ Naturæ ob eandem rationem non magis congruat. Dilucidius vero mentem suam, in eandem tamen sententiam, exponit *Conr. Vorſius*, non male alioqui in hujus loci interpretatione versatus, qui, sive de *Corpo Myſtico*, sive

F

de

(a) *L. IX. de Trinit. f. m. 223. seqq.* ed. *Froben. A. 1523.* (b) *L. de divers. queſt. LXXXIII. queſt. 69. n. 1. f. 40.* que *L. contra ferm. Arian. c. 37.* & *L. I. de Trinit. c. 8. repetit. f. 458. & 537. T. VIII. ed. *Bened. Paris.* (c) *Heres. Ariomanitarum n. 69. circa finem.* (d) *L. 4. contra Eunomium.* (e) in *LL. Theol. f. 63.* (f) *Disput. Theol. P. I. Disp. IV. ſeſt. IV. §. 123.* (g) tam in *Socin. Proſig. quam Exam. LL. Crellii de uno Deo Patre, & Bibl. Illuſtr. atque Disp. de Offic. Christi &c. A. 1676. hab.* (h) *Sceptro Regal. Christi P. II. c. IV. f. 220.* (i) *Consil. Theol. Germ. T. V. P. I. f. 399. ſq. ex inſtituto.* (k) *Exerc. in Symb. Apost. X. §. 44. f. 178. ſq.* (l) *L. I. de Christo cap. XVI. Tom. I. Controvers. f. m. 472. ed. Ingolſtad.* (m) in *Myrothec. Oper. Crit. Angl. Tom. V. fol. 273. in b. l.**

de *Humana Natura* explices, id fieri imprudenter scribit (a) utroque respectu, quum Christus semper fuerit patri subjectus, ut non sit necesse, tunc demum subjecti, quum omnis potestas per ipsum fuerit abolita. Nec dissimulat B. Scherzerus (b) istud ἔγκλημα, quod Smalcianus proterve urget, & (c) quomodo dici potest, ait, eum ratione carnis futurum subjectum? Hec enim verba Pauli presupponuntur, *Filiū Dei nunc non esse subjectum ei, qui sibi omnia subjectit.* Quae sane non contemnenda sunt dubia, nec contempta etiam a nostris esse, animadvertisimus.

§. XI. Atque hinc etiam, nisi nos omnia fallunt, factum est, ut vix unus alterque in *Humana Natura* ἀπόλως substiterit, sed plerique, vel de *Manifestatione* ejus subjectionis, vel *Continuatione*, vel *Negative* etiam, de *Cessatione Ministerii* pristini, quo tanquam *μετίτην* defunctus esset, verbum ὑποτρυχηται explicarent: ita ut Bellarmius insuper in pronunciatione verborum Apostoli subsidium quereret, ea hunc in modum: *Etiam* tunc: cum quadam *Emphasi*, & in particula *Etiam* notabili Accentu collocato, efferenda, non suffragante Paullo, arbitratus. Sunt & haud pauci, qui superiora illa, *Declarationem*, puta, *Perséverantiam* & *Mediationis*, uti *Baldinus* vocat, officium desiratum, conjungant, atque ita tutissimam viam se elegisse autem. Quos inter post B. Sennertum (d) *Dorschaum* acutissimum Theologum (e), *Gerhardum* (f), *Waltherum* etiam, Abr. *Calovium*, & ex parte *Schreiderum* nostrum cum Scherzero, atque alios hoc referimus: Ne quid de Reformatis dicamus, inter quos *Cameronem* atque *Petr. Martyrem* nominamus per compendium. Nec desunt ex vetustiori Ecclesia, inter supra laudatos Patres, qui pariter, uti hodierni sentiant, quod vel

(a) *Comm. in Epist. Apostol. f. 187. a. sq.* (b) *Colleg. Anti-Socin. Disp. LXV. Obj. XXV. Resp. (a) coll. König l.c. §. 9.* (c) *Refut. Theſ. Schopperi f. 34. lin. ult. & f. 35. init.* (d) *Noviss. omnium Noviss. §. 66. p. 45.* (e) *cuius vid. Theol. Zachar. Disp. VII. P. II. L. II. q. II. §. 9. p. 259. sq.* (f) *qui E. de Extremo Judicio f. 112. rectius ita intelligi scribit, sed mox ad Corpus Christi mysticum, vid. supra §. VIII. magis propendet.*

vel solius *Augustini* testimoniis comprobari posset, si opus esset.
 Et favet, ut, quod res est, fateamur, huic, pro emollienda *υποταγῆ*
Humanæque Naturæ tum demum vindicanda, modificationi,
Uſus utriusque linguae sacræ. Quid enim frequentius, in rebus
 divinis præcipue, quam ut τὸ fieri pro *declarari* & manifestari
 adhibeatur Ps. XXXIV, 4. Jer. I, 10. Gen. XXVII, 37. coll.
 Act. X, 15. Rom. IV, 15. 1. Tim. III, 16. 2. Cor. XII, 9. Joh. IX,
 41. Ita similiter *Continuationem actionis aut Status Lev.* VI, 5.
Zach. XI, 9. Gen XIV, 21. coll. in N. T. Matth. II, 13. Eph. IV, 23.
 Luc. XI, 13. reperimus. Affirmativa verba autem pro negantibus,
 h. e. τὸ subjici pro non amplius regnare, eo, quo antea factum erat,
 modo per Verbum & Sacra menta, fidemque, & colluctationem
 cum hostibus renitentibus, illustrant innumera V. T. exempla;
 in N. T. tabulis vel solum notissimum illud μισθίνει Luc. XIV, 26.
 & Rom. IX, 13. evincit. Ut adeo, quantum ad usum rece-
 ptum, in forma loquendi, si sequentia apte responderent, etiam
 hac ex parte nihil obstaret, quo minus superius moto, de sub-
 jecta Deo jam ante per se *Humana Natura Christi*, dubio satisfieri
 posset. Omnim vero maxime verisimillimum videtur, quod
 de *Continuatione* docetur, quæ inter saltim interpreta-
 tiones *Grammaticas* sine dubio præstantissima est, præfer-
 tam si animadvertis, ipsum *υποταγῆ* sèpissime de
Uxoribus usurpari, ut non tam Actionem novam, quam Sta-
 tus pristini & obsequii, ex quo in conjugio vixissent, continua-
 tionem denotet: cujusmodi 1. Cor. XIV, 34. & 1. Petr. III, 1.
 reperiuntur constructiones. Quia vero neque *eximium quid*
 aut mysterium grande videri poterat, Christum secundum Hu-
 manam Naturam Deo, uti olim, ita porro subjectum esse, ut po-
 tius ipse Salvator alias id fassus fuerit sèpenumero: & Paullus
 quoque, quod *non sine maxima singularis mysterii nota* hic
 commemorat, alibi jam ut notissimum docuerat Corinthios, immo
 res ipsa, & conditio Humanæ essentiæ, necessario requirit.
 Adhæc nudum atque simplex *υποταγῆ*, cum aliis actioni-

bus patris , subjicientis revera filio hostes , absque ullo manifestationis aut continuationis indicio , conjunctum legitur , ac proinde Oppugnatores Divinitatis Christi σοφὸν Φαρμακὸν id potius esse , ceu *Smalcianus* facit , quam legitimam facilemque interpretationem clamabunt ; Caussam hinc nobis datam esse existimavimus , dispiciendi , nunquid stricta *Verbi istius* , Futuri temporis , in quo omne scandalum est , judice Hieronymo ,(a) significatio retineri , & Hæreticorum tamen quorumvis Calumniæ , iñmo multo , quam priori quavis ratione , validius atque compendiosius dilui possint . Quod Dei beneficio speramus nos , alia quadam via , jam ineunda , effectum datus esse : posteaquam necessarias quasdam commonefactiones præmiserimus .

S. XII. Id vero antequam fieri possit , paucis præmittendum est , totam salutis nostræ , per Christum partæ ac restauratæ , Oeconomiam mysterio quodam sacro - sanctæ Conventionis inter Patrem & Filium niti . Quod cum plerique Reformatarum partium Doctores (b) , quibus etiam maxime familiare est ea methodo Theologiam tradere , largiantur , neque e nostris Theologis desint , qui Fæderalem illam παιδείαν ament ; (c) non adeo magnopere laborandum erit , ut argumentis e Codice Sacro de promtis illam hypothesis adstruamus . Luculenter sane eam probant quædam Scripturæ V. & N. T. loca , ut miremur , de re ipsa dubitari posse , tametsi de Vocabulis *Pacti* , *Fæderis* , *Contractus* , & hujusmodi , adhibendis hæstare nonnulli potuerint . Quæ tamen nemo non intelligit ab imperfectionibus humanis emundanda & θεοπατέρως accipienda esse . Quid enim apertum magis est , quam Consilium inter duos illos , Deum & Virum Zemach , de quo Zach. VI. 13 , tanquam fixo , statoque tempore in effectum perducendo a regio Sacerdote , illustre vaticinium legitur . Nec obscurior , Voluntatis quasi mutue & per modum

(a) Epist. ad Amandum Tom. III. Opp. f. 91. b. (b) Vid. instar omnium H. Wirtius Oecon. Fed. Div. L. II. c. II. &c. f. 130. sq. (c) Conf. Puffendorf. in Jur. Fezial. Div. §. 37. f. 138. sq. ed. Lat. Dn. D. Jeger. de Fed. Grat. L. I. c. VII. fqq. Adde B. Hieron. Kromayeri Diff. de Fæd. Evang. & Legali , & quos citat Jegerus , Varenium , M. Müllerum , aliasque .

modum *contractus*, literis, ut solent Judæi, in plicatili membra-
na scriptis, firmæ testificatio Ps. XL, 7. Cui & promissio, de
Corpo, ad coeptum consilium peragendum comparando, a Pa-
tre accessisse dicitur coll. Hebr. X, 5. & 10. cum Exod. XXI,
6. & aliis parallelis. A quo parum abest dictio illa Luc. XXII,
29. qua sibi Patrem Regnum aeternum esse pactum Serva-
tor inquit, quemadmodum & fidelibus ipse nunc pacifica-
tur. Ubi eadem vox, ratione haud dispari, usurpatur, unde
& διαθήναις Græcorum, quæ Hebraico בְּרִית respondet, or-
tum habet. Omnium luculentissime Sponsoris titulus, quan-
do οὐείστοις διαθήναις erigenda εγγυηθεῖται h. e. Fidejussor & Ex-
promissor audit Hebr. VII, 22. ejusmodi Conventionem, quasi
manu injecta factam, indicat & Hebr. עֲרָב Jer. XXX, 21. am-
plius confirmat. Quanquam, ubi rerum adsunt testimonia, Con-
fensiique ineffabilis Unitatis negotium Salutis nostræ suscep-
tum peractumque esse palam est, quid verbis opus sit, causam non videa-
mus. Eamque etiam ob rem Christi toties repetita effata, de Vo-
luntate Patris, juxta cum sua, perficienda, in quem finem missus sit,
tanquam magni illius Consilii legatus, studio omittimus, neque
discrimen qualecunque inter Conficienda tantæ Rei επαγγελίαν,
& confecta εὐάγγελior nunc attingimus: quia de Voluntate per
modum Pacti in utriusque temporis V. & N. T. Oeconomia effi-
caci ex Hebr. IX, 15. & X, 10. atque aliunde satis edocti sumus.

S. III. Quid vero alter alteri pactus sit, quasi stipu-
lando & restipulando, unde Conventionis capita diminant, si
nosse desideras, possemus vel solo Eventu proposito rem
omnem complecti: eo modo quo & in mysterio Prædestina-
tionis, Divinæ voluntatis arcana rectissime e Complemento in-
dagamus, rationesque decreti aeterni cum eo accurate con-
venire animadvertisimus. Sed quoniam non deficiunt quædam
in S. Codice ea de re distincte notata & patefacta, quæ Sp. S.
Consilii ejusdem, intima unitatis essentialis ἐρευνητεοι conscius, lit-
teris divinis confignari jussit, non ab re erit illa animo nostro

altius reputare. Pandit ergo Sacer ille Spiritus nobis, inter alia *federalia* mysteria, Stipulationis in primis Patris & Restipulationis Filii hæc capita. Cum Patri promissè dicitur Filius, *sponsione* liberrima sanctissimaque, *Interventum* suum & *Mediationem* inter Deum & homines, atque hoc ipso interpositio-
nis actu cruentam plenamque, pro reatu, per lapsum con-
tracto, omnibusque hinc ortis peccatis, *satisfactionem*: eum in finem, ut placatis mortalibus, gratiaque Dei cum justitia æterna perfectaque recuperata, Deo omnes redundantur, bene-
ficiisque, *partim*, sec. coeconomiam Evangelicam, applicatis,
justificantur & sanctificantur, *partim*, post decursum *Regni Mi-
nisterialis*, hostibus omnibus superatis, gloriose beentur; quis est, qui non intelligat, Filium Patri, Personam Legislatoris &
Judicis gerenti, ea pollicitum esse, quæ & sanctissime implet,
qualia a paciscente *Vade* requirantur. Ex adverso idem quo-
que Pater legitur filio promissiones dedisse, quæ consideratu-
sunt dignissimæ: ut quando *Semen visurum*, *æternum vi-
surum*, opusque Domini per ipsum bene successorum esse Es. LIII,
10, 11, 12. prædictum est. Ipse quoque Filius petere jube-
tur a Patre suo, & petenti promittuntur *gentes in hereditatem dande*, terminique orbis pro *regio peculio* attribuendi Ps.
II, 8. Ne quid dicamus de *Regno ipso*, quod sibi a Patre dis-
positum ait, cuius supra jam fecimus mentionem; aliisque simili-
bus, ut Es. XLIX. lqq., locis. Illud facere non possumus,
quoniam moneamus ipsum Propitiatorem nostrum in preicatione
προαγωνίω Joh. XVII. ad eam promissionem de *datis sibi dan-
disque & conservandis* fidelibus non obscure provocare. Po-
terat etiam *conventionis* hujus robur per λόγου ὀρθωσίδις fir-
matum Hebr. VII, 20. Ps. CX, 4. & ab altera parte per auris
perforationem, typicam olim & in ipsa Humana Christi natu-
ra, cum circumcidetur potissimum, κατ' αὐτίκυτον significatum amplius illustrari. Sed alia ad scopum nobis propositum
propius accendentia nostram operam postulant.

J. XIV.

S. XIV. Nimirum *Ordinem* in his omnibus ex utraque parte justa executione perficiendis spectare oportet. Observare enim licet, neque Patris promissa in Filio sponsore, uno statim momento, adimpta, neque etiam a Filio, quæ is praestanda in se receperat, simul & uno eodemque tempore protinus peracta esse. Namque licet, habita ratione funesti Lapsus jam ab æternitate præviū, *Fidejusor*, & *Expromissor* constitutus, deinde per τῷ περιεναγγέλιον designatus, & patescens sit; tamen spousionem ipsam suscepit non sub initium statim cum promulgatione, confessim aut uno aëtu, iunctim effectam dedit; sed intercedentibus aliquot periodis primum intra solam promissionem subsistere voluit, tum variis & paulatim quidem præceptis, peccatorum agnoscendorum & sacrificiorum piacularium, aliisque ejusdem indolis exercitiis permotis, desiderium simul atque spem fidemque in Messiam venturum acuit & aluit: ita tamen, ut luculentior indies fere ejus accessus & officii ratio redderetur. Donec, ubi πλήρωμα τῆς ζεύς καὶ ναζός τῆς διαθύσεως adesset, ipse se coram filteret, vadimonii subeundi caussa, Propitiator. Qui pari modo Actionum & passionum suarum eum servavit *Ordinem*, ut Statum νεύστων ingressus, neque docendo, neque etiam tolerando, simul omnia perficeret, sed majori, cum miraculis auctis, semper perspicuitate & paulo ante mortem maxima, divinam voluntatem proponeret, ac simul ad ipsum supplicium Crucis per gradus quasi descenderet: Quem *ordinem in Ascendendo* consimiliter observasse animadversum est, ut resuscitatus vivum se cum maiestatis demonstratione notabili ostenderet, tantisper dum in coelum evectus, & super omnes coelos exaltatus ad dextram Dei consideret: Ubi ne nunc quidem perfecta sunt omnia, sed promissionum factarum, gentiumque datarum & hostium subjugandorum, quod magis magisque fiet usque ad abolitionem ipsius mortis, expectatur *Complementum*, in consummatione seculorum, & præsentis œconomiae finitæ, terminum

minum suum, certo tamen, consecuturum. Quo facto, ubi militaris & armifera hæc periodus, in qua beneficia Christi per Verbum & Sacra menta, hostibus repressis ac tandem oppressis penitus, applicantur, absolvetur, tunc ordine Conventionis sapientissimo ita ferente, Dispensatio plena & solemnis in triumphante, tranquillo & quieto statu Regni glorioſſimi, Christo cum suis in primis promissi, succedet, sub finem mundi inchoanda, & nullo unquam termino finienda.

§. XV. Quibus premissis, jam facile præfensurum B. L. putamus, quæ sit genuina, licet neglecta huc usque, eadem que tam abstrusa quam simplex vexati illius וְנֹתַרְנָה in Epistola nostra Paullina significatio. Nimur male nos arbitramur, id Verbum, ex vulgari usu, per Subjectionem, quo imperium aut obsequium simul continet, redditum; pejus autem Germanice per Unterthan seyn aut vverden expressum; omnium vero pessime a Syro interprete in servile vocabulum שׁעֲבָד commutatum esse. Id enim in præsenti loco & oratione Pauli Ordinem merum, qui ex Pacto Christum Dei filium, secundum divinam illam conventionem, tacturus sit, quemque, post devictos paullatim omnes hostes, & ipse tandem sit cum triumpho subiturus, ut in Deo sine pugna omnia in æternum acquiescant, designat. Et revera in eum locum nobis convenire videtur, quod Lutherum sæpius dixisse refert B. Besoldus noster, Megalandri quondam Convictor (a): *Paulus est copiosus: Ein Wort hat drey Orationes Ciceronis: Er redet ein Wort, das siebt durch den ganzen Esaiam oder Jeremiam, & reliqua: Quibus addi posset, id fieri subinde transeundo totam Scripturam, ipsamque æternitatem. Quodsi autem וְנֹתַרְנָה idem est h. l. atque suo ordine subsequi, postquam alia jam certa τάξι, secundum certos, quos Paulus commemoravit eventus, locata fuerint, nemo non jam, credimus, intelliget, totam Socratinia-*

(a) *Pref. ad T. II. Comm. Luth. in Genes. ab eodem Besoldo typis subiecto post Viti Dieterici fata, A. 4.*

cianorum argumentorum struem, ex hoc loco deductorum, uno istu concidere, & Ordinis istius post militare Regnum successum, transitumque ad Regni formam plenissime triumphantem, recte a nobis, etiam si $\tau\alpha\delta\alpha\zeta\sigma\tau$ videri poterat, *Subjectiōnēm glorioſam* fuisse appellatam. Cujus gloriae *Filiū Dei*, secundum utramque naturam, participem fore jam etiam tanto minus dubitamus, quo certius exploratum cognitumque habemus, Regiam illam autoritatem eandem esse, modumque habendi in duabus naturis diversum agnosci, & quicquid officiorum Christo competit, ad utramque naturam referri oportere.

§. XVI. Nihil ergo restat, quam ut Verbo illi, $\nu\pi\tau\delta\alpha\tau\zeta\sigma\tau$, quæ materia litis est, eam notionem subesse demonstrēmus, ac proinde Interpretationem ejus ita institui posse, immo non tantum posse, quod adversus Socinianos satis esset, sed etiam debere ostendamus. Provocamus igitur (I.) ad *Etymologiam* vocabuli, a Præpositione $\nu\pi\tau\delta$ atque $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ seu $\tau\alpha\delta\tau\zeta\tau$, unde $\tau\alpha\delta\zeta\sigma$ est notissimum nomen, derivandi : qua nihil est ad notionem hancce formandam simplicius. Quemadmodum enim prior illa Præpositio *Ordinem, Locum, & Statum*, sicut & Hebr. $\Pi\Pi\Pi$, innumeris in locis Scriptorum Græcorum designat: ita posterius elementum, unde composita varia & nostrum quoque, quod præ manibus est, orta sunt, sua natura ac simpliciter *Ordinationem eorum, quæ se invicem excipiunt, sonat*. Ita satis note sunt apud Græcos phrases, $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ $\tau\alpha\delta\zeta\sigma\tau\pi\delta\sigma\tau$, $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ $\epsilon\sigma\mu\chi\tau\pi$, & de navibus $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ $\nu\alpha\tau\zeta\pi$ $\epsilon\pi\tau\pi$, quibus Thucydides usus est. Porro $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ $\alpha\gamma\delta\tau\pi$ apud Philostratum in Apoll. vita & aliae alibi leguntur. *Tetragrænos* autem dicuntur procedere, qui acie ordine legitimo collocata continentur, & *Hesychio tetragrænos* $\tau\alpha\delta\zeta\tau\pi\tau\zeta\pi\tau\pi$, qui ordine primi sunt, (a) vocantur. Neque aliam ob causam *Tetragrænos* $\tau\alpha\delta\zeta\tau\pi\tau\zeta\pi\tau\pi$ vir prudens, qui eorum, quæ agit, cuncta,

G

recto

(a) *Conf. H. Hammondum & Clericum ad Act. XIII, 48.* ubi & de $\tau\alpha\delta\tau\zeta\sigma\tau$ ex *Luc. I, 18. 2 Reg. XV, 19. 1 Macc. V, 27. 2 Macc. XV, 20.* plurainvenies.

recto ordine suscipit, dici solet. (a) Ex adverso ἀτακτοι vocantur, qui ordinis, & nominatim Ecclesiastici, sunt incurii aut contemtores. vid. 1 Theſſ. V, 14. & 2 Theſſ. III, 6. 7. 11. Nec dubitant præstantissimi Theologorum nostratum (b) impeditissimum locum Act. XIII, 48 : ὅτοι ήσαν τεταγμένοι πρὸς ζητήσιάν των.

ex eadem ordinum militarium statione illustrari posse, ut non nisi conditionem fidelium, qui ordinem divinum conversionis &

fidei subierint, salutarem indicet: quod ad præsens negotium

haud mediocrem lucem afferat.

S. XVII. De Compositis simile judicium ferendum est. Nam non est frequentior significatio, quam ταῦτα διατάσσειν in eadem ordinis notione: unde σεχιώται διατάξειν, sunt milites acie composita incidentes, apud Xenophontem & Polybium. Herodoto διατάξειν σεχτὸν vocatur, pro quo nos aciem ordine digerere dicimus: non obstante, quod eadem vox translate etiam imperium notet Act. XVIII, 2. & apud profanos passim. Ita pari modo ποτάσσειν usurpatur pro primo loco ponere seu anteponere, ut quando Dioscorides λόγον ταῖς λησσοδημήσιν προτάσσει L. VII. c. 2, ait, & ποτακίναις Græci opponunt ἵποτακλῆς Subsignanos. (b) Ne quid de συντάξειν & συντάξῃ addamus. Ex quibus cognatis jam satis colligi possit, & potissimum quidem ex posterioribus e diametro oppositis, quæ vis sit nativa verbi ποτάσσειν. Sed ecce, ne (II.) etiam Iūsum ejus apud Græcos receptum nos deficere putes, ipsius nostri ἵποτάσσειν & ἵποτάσσειν, pro ordine succedentibus occurrentia exempla, cum profana, tum etiam sacra. Frequentiora sunt, quæ in omnibus fere paginis reperias apud Graffaticos: ut cum Theodorus de Particulis seu Conjunctionibus quibusdam docet: οἱ δὲ λεγόμενοι ἐντηρουμένοι προτάσσονται τὰς λέξεων καὶ ἵποτάσσονται: De Syllogisticis similiter: Quædam præmittuntur tantum voci bus aliis, οἱ δὲ πάντες καὶ προτάσσειν καὶ ἵποτάσσειν δύνανται.

(a) Cujusmodi loca nuper admodum collegit post Stephanum atq. Basil. Lex. Cl. Dn. Majus jun. P. III. Observ. p. m. 82. (b) Conf. Lipsum de Milit. Rom. L. IV. Dial. III. post B. Fraprium de Interpr. Script. S. Orac. I. f. m. 105.

δύνανται. Porro de Expletivis : τὰίτες γέ μήν τοῖς ἑτέροις τοῖς λόγις μέρεσιν υποτάσσονται. Et iterum : Perinde , ait, de aliis εἴτε προτάσσοντο, ήτε ἐπιτάσσοντο, οὐ δὲ αὖ νέη υποτάσσει δοκισθογυμνὸς ὄν. Atque hæc quidem ex una pagina enotata dedimus. (a) Longum vero esset, si quæ de Articulo, & θέω υποτάξιν, & Verborum Modo υποτάξιν seu Subjunctivo illuc habentur ubique obvia, adducere vellemus. Neque aliter de hisce loquitur *Apollonius*. (b) ubi de iisdem articulis & modis agit, qui & verbo υποτάσσεται e. g. εἰ μή υποτάγειν τοῖς προκειμένοις συνδέουσι τῷ εἴηται υποτάξιν, eadem sententia utitur. Eandemque notiōnem, ut notissimam vetustissimam etiam *Macrobius* (c) allegat, quando : *Conjunctiva Latinorum*, que υποτάξινa *Grecorum, caussam*, inquit, *vocabuli ex una eademque origine sortiuntur*. Nam ex sola conjunctione, que ei accedit, conjunctivus modus appellatus est : unde & *Graci* υποτάξιν διὰ τὸ υποτετάχθαι vocarunt. De usu consimili in Scriptoribus ταχικῶν seu de inservienda ordinanda ἀριθμῳ, (quorum quidem nunc nemo ad manus nobis fuerat, ut evolvi potuerit) hoc minus dubitamus, quo certiora indicia nobis Historici militares dedere, exhibitis eo sensu compositis & oppositis paullo ante commemoratis. Interim, quod ex iisdem excerptum dedit *Phavorinus*, (d) his usibus inservire poterit, qui : πρόταξις, ait, ψιλῶν ἐστι, ὅταν τὸ ἀλλαν ἐνπολέμων ἔτοι προτάσσονται. τηπρόταξις δὲ ὅταν υποτάσσονται. προτάξις ὅτε δὲ ἐμπλεκόμενοι τὴν Φάλαγγην παρ' ἄνδρες τάσσονται. λέγεται νέη προτάξις τότε. Cetera B. L. studio inquirendi commendamus : atque ipsam quoque *Scripturam N. T.* loco supra citato I. Cor. XIV, 31. nobis favere observamus, atque adeo in eadem, in qua versamur, Epistola. *Sive* enim occasionem strepitus & interloquentium intemperantiam spectes, *sive* formulam Paullinam præmissam : δύναθε

G 2

ναθε

(a) *Theodori Gazeæ Introdūct. Grammat. L. IV. Ed. Aldina fol. 1495. pag. penult.*(b) *Dioscurus cognom. de Constructione LL. IV. ejusd. edit. D. 4. b. II. 6. b.*&c. (c) *De differ. & societ. Graci Latinique Verbi L. f. 470. ed. 8. Lond.*1694. (d) *Varinus Phavorin. Diſſion. f. 1584. lin. 41. ed. Basil. 1538.*

ναὶ ἔντειρος προφητεύειν, sive denique & sequentia, ubi Deum *con* *ἀναγνώσας* *αὐτὸν* εἰρήνης Θεόν esse scribit, atque ipsam Capitis hujus clausulam, qua *κατὰ τάξιν* omnia fieri præcipit; nihil profecto aliud hinc effici poterit, quam Prophetarum alterum alteri *ὑποτάσσεται*, h. e. ordine succedere debere, non autem interfando se invicem & cœtum auditorum turbare. Quod certe melius est, quam subjectionem alterius generis ex consensu confingere. Idemque fortassis de loco Petrino (a) si necessarium esset, ostendi posset. Neque deessent Latino-rum exempla, eaque *nativae* & *proprie* *significationis* documenta, (uti Steph. Doletus (b) demonstratum dedit, quibus τὸ *Subjicere*, v. g. a Cicerone, (aut quisquis est Author ad Herennium L.) verbis: *Subjicit exempla, sub singulos artis Locos.* Et de *Divinatione*: *Cur sic opinetur rationem subjicit, & similibus, pro ordine subjungere usurpatur.* Immo & nomen *Subjectionis* eodem Lib. ad Herennium, notione eadem subjunctionis legitur, & in Rhetorum scholis *Subjectionis* figuram, quatenus sequitur interrogationem, trita est, Græcisque υποβολὴ audit, quæ a nostra *ὑποτάξει* parum differt. Quo sensu & nos vocabulum in titulo Dissert. præscriptum accipi volumus.

S. XVIII. Atque sic quidem possemus acquiescere, cum Socinianis disputantes, quibus illud, *posse locum aliquem difficilem ita vel aliter explicari*, perpetuo est in ore. Sed conscientiae quoque consulendum est e contextu. Quantum ad hoc vero, nihil est dilucidius, quam Studium Paulli de ἵκαστῳ, Christo puta & fidelibus, sub τάγμα certum (ἴδον) locandis: unde & *Scopus* Apostoli elucet, quem putamus eum esse, ut ostenderet Christum, τὸν περῶν καὶ τὸν ἐχαρον, Αὐτῷ Ω, etiam in restauratione omnium, inde a Resurrectione, cum Societatis sibi membris in primo ultimoque τάγμα. Ordinem suum servaturum. Ad cuius præfiniti rationes cum & ipsi *expectandum sit*, (Hebr. X; 13.) fore tandem inquit, ut, si resuscitati universi, qui Christi sunt, felicem illam catastrophen, qui-

(a) I. Petr. V. (b) Comment. Ling. Lat. T. II. f. 963.

quietis subierint, & ipse, partim tradendo Patri regnum, partim cum electis gloriose regnando suum ordinem & extremam promissionis partem, sit aditus. Accidunt particulæ & rōte, quibus tanquam vinculis connectitur orationis posterioris pars cum priori, & comma XXV. cum sqq. ad præcedentes particulas, ἐπα., aperte nos revocat. Nec enim infert aliquid novi Conjunctione, sed prius dicta, Scriptura V. T. testimonii explanat, & ex Ps. CX. atque VIII. stabilit, cum subjecta brevi paraphrasi, qua priora aliis verbis repetuntur, & quod de tradito regno dictum fuerat, idem per verbum ενοτεροτατα enuntiatur: ita tamen, ut quod ante omissum erat, τότε cessante priori forma regiminis filii Dei Militaris & Specularis, jam etiam, quid in omnem æternitatem futurum sit, extremum puta omnium extermorum sine fine duraturum, addatur. Quæ cuncta tandem adornata Paraphrasi luculenta complexi, perspicue h. m. reddimus: Quæ, O Corinthi, de tradendo tandem Patri a filio regimine, usque dum hostes ei omnes subditi sint ordine certo & ad ultimum usque hostem mortem continuato, exposui, non temere dicta sint, sed dudum in Ps. CX. & VIII. per scripta habentur. Ibi quando cuncta pedibus Christi submittenda ordine esse, asseritur, palam est Patrem ipsum excipi, (quod obiter moneo,) quippe cuius est in hoc sancto οὐρανῳ active subdere, non autem sub potestatem venire. Sed ex altero etiam loco, Ps. videlicet CX. donec submittam, haud obscure effici potest, postea quoniam Filio θεωρεών a Patre ordine omnia sint subjecta, eundem quoque Filium Ordinem pari quadam ratione ad extremum subiturum, seu, quod dixi, regnum Patri, cum gubernatis a se habentus Sanctis & Fidelibus sibi, traditurum, atque sic ultimum, ex Conventione æterna, ex quo & pater, quod pollicitus est, præstitit uberrime, Complementum adepturum, ut glorioissime cum suis, & super suos, jam extra teli jactum positos, æterno triumpho regnaturus sit. Quo facto non amplius NB. χριστὸς πάντα εἰς τὸν οὐρανὸν erit, Coloss. III, 11. uti in via adhuc factum erat & in Oeconomia fidei (a) τὸν χριστὸν διονυσον requirebat, sed in Patria, Electi solius Dei Trinumius, Patris, Filii & Spir. S., intuitu, tanquam objecto beatitatis (Salva Christi, etiam ut Hominis, tanquam cause efficientis, regia glorioisque excellentia,) se sint sartari, atque ita bœs πάντα εἰς τὸν οὐρανὸν futurus. Aut, si placet, brevior esto Germanica: Wann aber alles nach und nach, bis auf den letzten F. ind,

(a) Hic Deus in Christo cognoscitur: illuc Christus in Deo.

wird ihm unterworffen seyn; alsdem wird auch der Sohn selbst in seine
Ordnung treten oder folgen, nemlich das Reich übergeben, mit darauf
folgender nunmehr ruhigen herrlichen Regierung, über alle Auserwählte,
als sein Ertheil, und zwar dem, der vorher ihm ordentlich alles
untergeben hatte, daß für ein Gott unmittelbar, und nicht mehr
Christus im Glauben, alles in allen. De qua felicitate nondum
comperita nos malum venerabundi silentium colere, quam
quicquam amplius eloqui.

§. XIX. Quid objici possit huic interpretationi planæ ac
simplici itemque optime cohærenti non perspicimus; nisi forte *Antanaclasis* (a) admissa videatur asperior, & discrepans no-
tio *in coram nobis*, ab ejusdem verbi significatu, in eadem ora-
tionis serie scrupulum injiciat. Sed quoniam *Ornamentum* illud
Sermonis neque Paullo nostro, (ne quid de Externis dicamus,) infrequens est, neque in aliis Scriptis Sacris V. & N. T. negari
potest saepe occurtere, (b) atque insuper differentia hæc per
phrasin præcedentem, *in coram nobis autem*, quæ de Christo
haud usurpatur, subindicata est, prætereaque *ordo* nec a
subjugatione hostium, ex intentione Paullina, & re ipsa, cum
Apocalypsi & Hist. Eccles. collata, excluditur, ut in Paraphra-
si docuimus; fere dubitari non potest, Vocabula eadem alio
subinde sensu, aut aliquo saltim modo discrepante, usurpari.
Cujusmodi quid in Filii, aut Christi ipsius, nomine hic Theo-
logorum permultos statuisse jam supra annotavimus (c). At
enim vero rem omnem prope conficit ipsorum *Adversariorum*
Confessio (d), qui haud inficiantur, aliter *in coram nobis* de Filio
Dei, aliter de ceteris hoc loco accipiendum esse: quandoquidem,
nisi id fieret, & Filium a Patre, ut hostem, veluti devi-
ctum, subiiciendum atque in potestatem, aut ordinem *huiusmodi*, redigendum esse consequens esset. Unde, in quam-
cunque partem Te convertas *Antanaclasis* statuenda & artificio-
sa potius, cum summis mysteriis, structura sermonis demiran-
da, quam in abusum, hinc oppugnandæ divinitatis Christi,
convertenda erit. Nec est quod existimes, si *Ordinem* dunta-
xat suum, ex promisso, & vi pacti reciprocí, post plene peractum
regnum

(a) *Dilogia Pædiana diffa.* (b) *Vid. Clas. Rhet. Sacr. Tr. III. c. III. p. 532.
marg.* (c) *Conf. 1. Cor. XIV. 32. cum 34.* (d) *Crell. in b. l. f. 336. a
Subjectio pro conditione rei subjectæ aliquo modo varia est.*

regnum gratiæ atque cum victoria traditum propositumque (conf. Hebr. II, 13. coll. comm. X. & Ef. VIII, 18.) inde subsequutum glorioſiſimum ſolenniſiſimumque Regimen gloriæ, indicari dicamus; vel ſimpliſter adhibendum, vel ordinem potius ad hostes viētos, quos gloria victoris ſecutura eſſet, referendum fuſſe. Etenim, quia de ordine præcedentium & ſequentium jam anteſermo erat, alicujus reſpectu mentio facienda fuſſe. Quocunq; autem referres perinde qui- dem exiſtimari poſſet; At ſcopo Mysterii, de conventione toutes iſculcata, exponendo congruentius haud dubie viſum eſt Sp. Sancto, eum nominare, cum quo Stipulatio & Reſtipula- tio quaſi inita fuerat, ut, quemadmodum Christus tradendo, cum ineſſibilis Majestatis triumphi demonstratione, Regno oeconomico defunctus eſſet, ſicut & Pater ſuis promiſis jam ante ſatisfecit, hostes filio ſubmittendo: ita nunc demum explendæ demonſtrandæque in omnem æternitatē veritati divinæ, in Regno Gloriarū nunquam finiendo, destinata eſſe omnia intelligeremus atque noſ eo, tanquam terminum paeti etiam nobifcum ſtatuti, & ad noſtrām perfectionem compa- ti, tanto majori confidentia adſpiraremus.

§. XX. Cauſa proinde nihil erat, cur tantopere Similitu- dinem ſujectionis, ſenſu ſcil. imperium superioris respiciente, urgeret, Smalcius. (a) hanc enim vocis hujus, Et, vim eſſe, perhibens. Etenim & nos similitudinem concedimus locum habere, ſed qua ſujectionem & Ordinem, qui utrinque locum habet; Aquila- litatem vero omnimodam ne ipſe quidem Smalcius, quod pa- raphraſi ſua adjecta docet, admittit: qua ratione iſta tantope- re jaētata in uia Viſ conficta perit. Idemque etiam Crello (b), copulativam conjuſtioneſ ſimiſter objiciunt, responden- dum eſt: cujus cetera omnia, (prater ea, qua ex negata Summa Christi Divinitate ortum trahunt,) non niſi ex præjudicata opinione, quaſi hic idem fit, quod ſub potestate alterius submittere, profluunt, eaque ſubverſa prorsus conci- dunt: ut quod animo quidem conſtitutum erat, eorum, tan- quam a ſcopo proximo remotiorum, accidente anguſtia char- tæ & temporis, diſcutione opus non eſt. Ad extreum deni- que

(a) Refut. Thes. Schopperi f. 35. lin. 2. ſeq. (b) L. I. de Uno Deo Patre, Seſz. II. c. XXVI. Opp. Tom. IV. f. 47. ſq.

que h. m. & Chrysostomi (a) refugio opus non erit qui *en secessione*
τη λέξει usum & p. p. *μετα τοντούς ιπτακόντης* locutum Apostolum
 ait: utpote quæ omnia, etiam Theophylacto probata, sic facili
 opera & perpicue tollentur. Quare nihil restat quam ut lata
 & nos possessione hujus regni & beatissimæ catastrophes, cum
 Capite nostro obtinenda, spe firma erte, Deo pro gratia no
 bis concessa vota nuncupemus verbisque *Augustini LL. de SS.*
Trinit. ita finientis concludamus: Domine Iesu! quecumque dixi
de Tuo, agnoscunt Et Tui: si qua de meo Et Tu ignosce Et Tui!

(a) *Hom. XXXIX. in 1. Cor. Ep. fol. 681. Ed. Duceane.*

PER EXIMIO DOCTISSIMOQUE
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Divinum mihi visum est omen, Dilectissime DN. Schmausii,
 cum nostram hanc Academiam ingressus, morboque gravissimo
 corruptus piis a me precibus Deo singulariter commendandus
 esset. Spes enim animum meum ex eo tempore subiit, quam & recepta
 valetudo mirifice firmavit, fore, ut sec. methodum studiorum sacrorum a
 Luthero designatam, Tentatio extra ordinem solitum procedens, cum
 tua meaque deprecatione conjuncta, felicissimam rerum cœlestium Me
 ditationem Tibi pareret. Nec eventus me desluit optima queque jam
 tum animo præcipitem. Eam enim inter nos Vitam egisti, ea diligentia,
 ea vita integritate & pietate, ea modestia & morum suavitate, ea
 temperantia, ut nunquam nisi ab intemperantia studiorum a me atque
 aliis notatus sis. Teforque candide, de Te affirmari posse, quod de Gre
 gor. Nazianz. sro Basilius perscripsit, non aliam illum Athenis viam
 novisse, quam qui ad Templum & Auditoria duceret. Eamque ob
 rem, cum profitear Te ex animo a me diligi, nunquam etiam desinam pia
 supplicatione egregias dotes, Tibi concessas & tam bene excultas, atque
 ex utraque cathedra laudabiliter demonstratas, earumque incrementa
 atque successus felices a Divino Numine porro expetere. Tuamque vi
 cissim, dum id agam, benevolentiam & memoriam mei amicam expecto.
 Ad extreum denique id in primis oro atque obsecro, ut salvis & inco
 lumis in ea, ad quam tendis Musarum sede, ad largiorem amplius bone
 mentis cultum & pietatis incrementa desideratissima adspires, atque in
 patriæ & Ecclesie commodum & ornamentum Divina providentia al
 tissime proveharis. Quibus votis toto pectore nuncupatis simo & Te
 Valere jubeo. Scrib. Altorfii Noriberg. d. XX. 7br.

A. R. S. MDCCXV.

AB 154546

X 2311881

IL

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

DISSESTITO EXEGETICO-POLEMICA

DE

SVBIECTIONE IESV CHRISTI GLORIOSA

SVPER

I ad Corinth. XV. comm. XXII - XXVIII.

P R A E S I D E

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER

D. P. P. ET V. D. M.

D. SEPTEMBER. A. R. S. cIcIccxv

H. L. Q. C.

PROPONENDA

VWOLFGANGO ADAMO SCHMAVS BARVTHO-FRANCO.

RECVD. IOD. GVIL. KOHLESIVS ACAD. TYPOGR. 1724.

